8333
III

Pawlicki Stefan

„Schraderiana"

De evangeliis in genere.

Patritius ill. in suo de evangeliis opere hanc quaestionem non habet, quoniam alium fixerat sibi scopum; nobis autem ejusmodi generalis quaestio non videtur praetermittenda esse quatuor imprimis ob causas:

1° ob rationem intrinsecam ipsius tractationis; si enim exigi velit ad normam scientiae, necesse est proficisci a quaestionibus generalibus ad singularia;

2° ob auctoritatem communem optimorum hujus disciplinae tractatorum, quum non habuerint tractationes de evangeliis singulis, quin praemiserint iis disputationem de evangeliis in genere;

3° ob ipsius perfectionem doctrinae; tractatus enim generalis complectitur considerationes, quas non habent quaestiones speciales,

4° ob utilitatem et necessitatem: utilitatem positivam cognoscendae veritatis et necessitatem πολεμικην, negantem errores oppositos veritatibus, quae eo est major, quod ex perversione considerationum generalium petuntur rationes ad oppugnationem librorum singulorum.

His explicatis speciali in singula evangelia inquisitione praemittimus generalem tractationem, in qua quatuor considerantur:

1° de nomine evangeliorum; 2° de numero eorum; 3° de eorum inscriptionibus vel titulis; denique 4° de ordine eorum.

Circa singula statuendum verum est et circa eadem removendum falsum.

1. De nomine evangeliorum.

Potestas vocum significandi ex duplici capite determinatur, ex etymo et usu loquendi. Porro quum agatur de vocibus, quae usurpantur etiam de rebus sacris, ecclesiasticis, christianis, usus loquendi potest esse multiplex, atque considerandus est usus loquendi tum profanus, qui cognoscitur ex auctoribus profanis, tum usus loquendi sacer, qui cognoscitur ex libris sacris, tum ecclesiasticus, qui hauritur ex monumentis Ecclesiae. Spectabimus igitur vim nominis evangelii ex singulis ejusmodi capitibus;

1° ex etymo.

Constat inter omnes εὐαγγέλιον, vocem compositam ex εὖ et ἀγγέλλειν, bonum faustumque nunciare, idem significare nativa vocis potestate significandi atque bonum, faustum felicemque nuntium. Spectata igitur vi vocis significatio sive acceptio τοῦ εὐαγγέλιου est generica; quaeritur num retineat vox haec genericam significationem etiam ex usu loquendi? Jam si spectetur

2° usus loquendi profanus, retinet communiter vox εὐαγγέλιον significationem genericam, qua exprimit bonum, laetum felicemque nuntium. Qua in re conferendus est Appianus, qui de nece Ciceronis haec habet: τῷ Ἀντωνίῳ εὐαγγέλιον διαφέροντες sc. Antonio nuntium laetum ferentes. Conferendus etiam Suidas, qui ad vocem εὐαγγέλιον haec habet: τὰ κάλλιστα διαγγέλλον — i. e. renuntiat optimum, gratissimum. Ex usu ergo profano vox haec habet genericam significationem. Quid si spectetur

3° usus loquendi sacer? In novo Testamento vox haec passim occurrit, sed induta significatione specifica adhibetur de nuntio salutari, de nuntio salutis, de qua salute libri N. T. tractant. Jam vero quum ex ejusmodi libris

salus per Cstum facta est, hinc est, quod εὐ signi-
ficet in libris sacris nuntium hominibus felicissimum,
laetissimum, nuntium Cti Jesu. Ita inscripsit ev-
angelium suum S. Marcus: ἀρχὴ τοῦ εὐαγγελίου
Ἰησοῦ Χριστοῦ.

Adeo fit porro, ut evangelium in Scriptura
significet praedicationem et doctrinam Cti
Salvatoris, vitam ejus mortemque, per quam
humano generi salutem comparavit.

Tandem factum est ut in libris sacris N. T. illi qui Cstum
Jesum praedicabant, qui doctrinam ejus et
institutionem annuntiabant, qui historiam ejus
vitae mortisque hominibus exponebant, dice-
rentur evangelistae. Ita Philippus in Actibus
dicitur evangelista, item Paulus ad Timotheum
scribit: opus fac evangelistae — quia nimirum
illi evangelium nuntiabant Cti Jesu et
declarabant doctrinam et institutionem, vitam
et mortem ejus.

Jure colligimus, vocem εὐαγγέλιον ex usu
loquendi sacro induisse notionem signifi-
cationis specificae loco significationis generica.

Si spectetur insuper
4° usus loquendi ecclesiasticus, vox εὐαγγέλιον
induit significationem specialissimam; si-
gnificat enim libros scriptos, continentes hi-
storiam vitae et mortis, doctrinam et prae-
dicationem J. Cti, scilicet cohaerenter cum
usu loquendi biblico. Quum quatuor nomi-
natim essent viri a Spiritu S. inspirati,
qui historiam vitae et mortis J. Cti, ejus
doctrinam et praedicationem, non quocumque
modo, sed litteris consignatam nobis trami-
serunt, hinc factum est inter Christianos,
ut κατ᾽ ἐξοχὴν appellarentur evangelistae
scriptaque eorum κατ᾽ ἐξοχὴν evangelia.
Cujus facti unum sufficit specimen proferre,
Oecumen. in acta S. Chrysost. ἃ καὶ εὐαγγέλια
οἱ πιστοὶ μετὰ ταῦτα ἐδικαίωσαν καλεῖν, ὡς

τὸ ὄντως εὐαγγέλιον περιέχοντα, τουτ᾽ ἐστι τὴν τοῦ Χριστοῦ διδασκαλίαν.

Ex quibus haec consequitur propositio:

Distincto usu profano, sacro et ecclesiastico, indubitatum est, nomine evangeliorum communi Cstianos usu scripta sacra vel libros evangelicos significare.

Cui propositioni statim adjungenda est haec altera:

Ferri autem eorum sententia non debet, qui negant apud vetustiores Ecclesiae scriptores, qui primae et alterius successionis apostolicae dicuntur, nomine evangelii vel evangeliorum significari umquam libros N. T.

Quam falsam sententiam prolatam esse non est cur miremur, quum criticis quibusdam ab initio et nunc plurimis propositum fuerit, ostendere evangelicos libros fetum esse posterioris aetatis, nimirum saeculi IV vel ad summum saec. III. Hinc utique necesse fuit negare id, quod ab illis negari in altera prop. declaravimus.

Nunquam, inquiunt, in monumentis primae ac secundae apostolicae successionis vox evangelii accipitur de libris scriptis. Quae adversariorum assertio ferri non debet quum et falsa sit in se et propter consectaria, quae inde inferuntur, propterea scilicet vocem εὐαγγέλιον non habere umquam significationem libri, quia aetate illa evangeliorum libri nondum existerent vel nondum explorati essent inter fideles. Quae eorum consectaria corruunt, si subvertatur fundamentum, quod efficiemus triplici argumento, uno artificiali, duobus non artificialibus.

Primum argumentum petitur ex praescriptione. In monumentis ecclesiasticis saec. IV et III, de quibus gravissimi et amplissimi testes sunt Tertullianus, Clemens Alex. Origenes, qui ad ipsam alteram apostolicam successionem prope accesserunt, constat nomen evangelii vel evange-

liorum

usu explorato atque communi acceptum fuisse de libris; ergo hic loquendi usus illa aetate non primum coepit, ergo repetebatur ab aetate praecedenti, quae est certissime secundae successionis. Falsum igitur est, successionis secundae tempore vocem εὐαγγέλιον non habuisse significationem librorum.

Argumentum secundum petitur ex libris liturgicis vel ecclesiasticis, quoad formam simile propemodum priori; ex se tamen non est artificiale, sed naturale, petitum nimirum ex testimoniis objectivis, ex monumentis.

Constat in libris antiquissimis liturgicis vel ecclesiasticis duplicem recurrere librorum distinctionem, in εὐαγγέλιον nimirum καὶ ἀπόστολον sive ἀποστολικόν. Unde dicta sunt εὐαγγελάριον καὶ ἀποστολάριον. Priori librorum distinctione εὐαγγέλιον continebantur sectiones περιοχαί, quae legi solebant in publicis conventibus fidelium inter ritum sacrum, petitae ex evangeliis. Altero distinctionis membro continebantur sectiones legendae inter eundem ritum sacrum vel in conventibus fidelium religiosis, petitae ex epistolis apostolorum vel actibus eorum. Atqui hic liturgicus usus et haec liturgica distinctio assurgit usque ad alteram vel etiam ad primam apostolicam successionem, ergo altera vel prima successione apostolica nomine εὐαγγελίων veniebant etiam libri scripti, κατ᾽ ἐξοχήν autem vocabatur εὐαγγέλιον complexio librorum vel sectionum, quae petita erat ex evangeliis, ergo falsum est vocem non significasse illis temporibus id quod nunc etiam significat, librum vel libros scriptos.

Argumentum tertium habetur ex Patrum disertis testimoniis. Et praetermissis quidem Patribus primae successionis, quos inter et S. Ignatio et auctore, quisquis ille sit, epistolae

ad Diognetum, ex quo utroque argumenta peti possent, quod nunc tamen non vacat, expedit argumentum petere ex Irenaeo et Iustino, qui profecto ad secundam pertinent, vel etiam (Iustinus certe) ad primam apostolicam successionem. Atqui quoad Irenaeum, is tertio adv. haer. libro data opera vindicat quadriformem evangeliorum rationem, de quo postea recurret mentio.

Quod vero ad Iustinum attinet martyrem, conferantur, praeter alia, quae habet in apol. I. n. 66, ubi de ritu liturgico loquitur: οἱ γὰρ ἀπόστολοι ἐν τοῖς γενομένοις ὑπ' αὐτῶν ἀπομνημονεύμασι, ἃ καλεῖται εὐαγγέλια, οὕτως παρέδωκαν: apostoli enim in factis ab ipsis commentariis, quae vocantur evangelia, ita tradiderunt.

Iam vero contendimus hic nomine εὐαγγελίων venire libros scriptos, quod sane efficitur

1° ex voce ἀπομνημονευμάτων, quae secundum obvium et nativum vocabuli sensum significat libros scriptos

2° ex praedicato γενομένοις (in commentariis confectis) quae phrasis non nisi praepostere de praedicatione orali accipi posset, quemadmodum adversarii contendunt.

3° comprobatur numero plurali vocis εὐαγγελίων, si enim vox εὐαγγέλιον numero singulari potest significare et significavit in monumentis ecclesiasticis praedicationem oralem, profecto εὐαγγέλιον numero plurali praedicationem oralem doctrinae Christi non significat.

Tandem id conficitur

4° locis parallelis, desumptis ex dial. cum Tryphone, consideratis n. 100. 101. 107. in quibus vindicat et asserit Iustinus divinitatem Iesu Christi, Salvatoris nostri, ex commentariis apostolorum atque eorum mentione

facit: υἱὸν θεοῦ αὐτὸν ἐν τοῖς ἀπομνημονεύμασι τῶν ἀποστόλων αὐτοῦ γεγραμμένον αὐτὸν ἔχοντες. ergo liquet ἀπομνημονεύματα esse commentarios scriptos.

Cf etiam alios locos: n. 106. ἐν τοῖς ἀπομνημονεύμασι γέγραπται, et ut alia omittamus, proferimus

n. 109. ἐν τῷ εὐαγγελίῳ γέγραπται εἰπὼν etc. ubi adducuntur Matth. XI, 27, quemadmodum in apol. I adducuntur Luc. XXII. 19 et Matth. XXVI, 28, ubi sermo est de institutione SS. Eucharistiae.

Ergo Iustinus variis omnino in locis accipit in numero singulari εὐαγγέλιον et εὐαγγέλια in numero plurali de libris scriptis.

Corollarium 1. Falsum ergo est, quod ab adversariis nostris contenditur, in monumentis antiquissimis ecclesiasticis vocem evangelium nihil significare aliud, nisi praedicationem oralem. Quod non est cur miremur, quia viri isti semper traditionem opponunt adversus scripturam et hanc adversus illam, prout illis expedit vel expedire videtur.

Corollarium 2. Per manifestam injuriam arguuntur auctores catholici, quasi in re gravissima per levitatem, inscitiam, negligentiam, vocem εὐαγγέλιον et εὐαγγέλιων illico acceperint de libris scriptis. Id enim auctores catholici fecerunt secundum studia seria, cum magna scientia atque diligentia. Tum vero adversarii aut fallunt alios aut ipsi falluntur, quum tribuunt auctoribus catholicis hanc sententiam, ut quoties occurrat εὐαγγέλιον vox, toties illam accipiant de libris scriptis. Immo nihil minus. Id enim auctores catholici non fecerunt et non faciunt. Qua in re haec sunt animadvertenda: aliud est, in monumentis primae secundaeque successionis vocem illam nunquam significare libros scriptos; aliud porro

est, in monumentis apostolicis vocem εὐαγγέλιον numquam aliud significare nisi libros scriptos; hoc pariter falsum est, sed non affirmatur a catholicis; aliud denique est, vocem illam habere nonnunquam significationem librorum scriptorum; hoc verum est, hoc affirmatur.

2. De numero evangeliorum.

Circa hanc quaestionem alia affirmamus, alia negamus. Quod affirmamus, his fere absolvitur.

Inde ab aetate apostolica perpetua est fidelium Ctiani nominis persuasio ac fides, evangelia genuina itemque authentica atque divinitus inspirata, quatuor esse, non plura numero neque pauciora. Cf. Iren. III. 10.

Haec veritas probatur omnibus argumentis, quibus in theologia dogmatica demonstrari solet et demonstratur scripturarum sacrarum genuinitas (atque authenticitas), et probatur pariter omnibus rationum momentis, quibus in critica in sacros libros introductione demonstrari potest et solet sacrorum librorum authenticitas.

Quare argumentis non insistemus multum sed omnia dicenda ad haec quatuor capita redigimus:

1° Quatuor evangelia constanter habentur in numero librorum ὁμολογουμένων; sunt autem libri ὁμολογούμενοι, declarante Eusebio H. E. III. 24. 25 „qui ab omnibus semper et ubique fidelibus unanimi consensu recipiebantur". Ergo perpetua est conspiratio, continua consensio omnium Ctiani nominis ecclesiarum de quadruplici numero evangeliorum.

2° Quatuor evangelia constanter recensentur in omnibus catalogis canonicis, uti loqui solent, sacrarum scripturarum, sive catalogi illi essent solemnes in Ecclesia et publici, sive essent privati. Omnium ergo fidelium et Ecclesiarum

persuasione ac fide quatuor, neque plura neque pauciora recipiebantur et recipienda dicebantur evangelia.

3° Quatuor evangelia celebrantur omnibus Ecclesiae monumentis, sc. libris liturgicis et ecclesiasticis, tum aliis monumentorum generibus, sc. monumentis pictis et sculptis, mussivis, scriptis, impressis. Cujus rei veritatem testes sunt ecclesiae et catacumbae urbis Romae.

4° Quatuor evangelia frequentabantur constanter a Patribus in libris catecheticis, homileticis, in sacris contionibus et sermonibus, tum etiam in libris polemicis. Frequentabantur nunc per diversas declarationes nunc per declarationes aequipollentes nunc per allegationes omnino multiplices, quod constat, quando indicatis superius locis explicantur vel enumerantur argumenta pro authenticitate scripturarum.

Nihil illustrius videtur ad significandam persuasionem et fidem de quatuor duntaxat evangeliis, quam similitudines et symbola, quibus haud raro utebantur ad explicandum et quodam modo demonstrandum a priori quadruplum numerum evangeliorum.

Id faciunt veteres, quando cum Irenaeo (l. c.) dicunt: quemadmodum sunt quatuor mundi partes, ita quatuor evangelia et quemadmodum quatuor sunt venti principales, ita quatuor evangelia, per quae Spiritus divinus spirat; et quemadmodum quatuor sunt columnae, quibus innituntur aedificia, ita quatuor evangelia, quibus innititur doctrina evangelica.

Rursus quando proclamant cum Augustino et Hieronymo: quemadmodum sunt quatuor mundi plagae, ita quatuor sunt evangelia, ac si cuilibet mundi plagae unum responderet. Et quemadmodum quatuor flumina irrigabant

paradisum, ita quatuor evangeliis irrigantur mundi plagae, paradisus, quae est ipsa Ecclesia. Et quemadmodum arca Noë quatuor continebatur angulis, ita arca Dei, quae est Ecclesia, quatuor continetur evangeliis. Quemadmodum quatuor elementis conflantur corpora universitatis visibilis, ita doctrina evangelica ex quatuor evangeliis conflatur.

Quibus figuris hoc saltem efficitur, ut firma explorataque fidelium persuasio de quatuor evangeliis majore luce appareat. Accedunt varia symbola. Quatuor animantibus ducebatur currus, quem vidit Ezechiel, quibus quatuor animantibus respondent quatuor evangelistae, per quos data fuere quatuor evangelia, quibus ducitur vel vehitur doctrina Chri. Item Joannes in apocalypsi quatuor vidit animantia, hominem, leonem, bovem, aquilam, quibus quatuor animantibus distinguuntur evangelistae. Sed de his hactenus. Nunc absoluta thetica, quae dicitur, demonstratione eandem rem comprobemus polemice.

Statuimus thesim sequentem:

Quemadmodum vero perperam agunt, qui praestituta impugnare conantur, praetexentes nunc defectum nunc ambiguitatem allegationum quatuor nostrorum evangeliorum in antiquioribus Patrum operibus, tum evangeliorum ἀποκρύφων nunc allegationes nunc multitudinem et ipsam nunc praeexistentiam, ita pariter illi, qui originalem aliquem fontem comminiscuntur, e quo commentarios suos nostri evangelistae derivarint.

Perperus, ait Vossius in suo etymologico, significat indoctum, rudem, stultum; deinde etiam insulsum, mendacem. Videntur ejusmodi notae quadrare in homines istos, quorum sententias varias thesis recenset. Eorum autem accusationes his fere continentur:

1° In vetustissimis, inquiunt, Patrum operibus quatuor evangelia non citantur, ergo neque existebant.
2° In sequiorum Patrum operibus citari quidem evangelia, sed modo ambiguo; nequit enim, ut isti ajunt, demonstrari ejusmodi demonstrationes non ex traditione orali provenire neque petitas esse ex apocryphis.
3° Primum allegari evangelia apocrypha idque aperte et frequenter, deinceps una cum illis etiam nostra, non tamen ab illis distincta, sed promiscue, ita ut potius apocrypha ab initio Ecclesiae videantur recepta et in usu fuisse communi.
4° Maximam fuisse multitudinem ἀποκρύφων, ita ut non quatuor, verum plura acciperentur et pro veris haberentur evangelia, unde postea quatuor sunt segregata.
5° Demonstrari posse ἀπόκρυφα prius extitisse, ita ut haec quatuor nostra videantur ex illis compilata esse.
6° Dubitari non posse de praeexistentia alicujus evangelii primarii, ex quo, veluti e fonte, vel ad quod veluti ad normam et amussim quatuor illa nostra fuerint expressa.

Ad singula singulatim, observato ordine, respondemus.

Ad 1. Falsum est in monumentis apostolicis nostra evangelia numquam citari et falsum est, raro citari. Allegantur enim modo nominatim Matthaeus, Lucas, Joannes, modo generatim, infinite, hac sc. formula: Scripturae dicunt, Spiritus S. loquitur, in sacra Scriptura legitur – modo aequipollenter, καὶ ἰσοδυναμίαν, adductis ipsis scriptorum verbis modo pressius modo laxius. Atqui spectatis his variis allegationum modis causisque quas propter fiebant itemque lectorum conditionibus, statuendum est, allegationes illas absolute et in se non raras, sed multas esse, estque falsissimum, nullas esse; si autem spectentur relative, sunt plurimae, scilicet, si spectetur

librorum numerus librorumque exiguitas, monumenta enim apostolica continentur tomis exiguis, item si spectetur librorum indoles, sunt enim epistolae, non tractatus; si denique spectetur librorum aetas lectorumque conditio, qui adhuc urgente ipsa apostolica praedicatione insonanteque auribus ipsa voce discipulorum Domini non indigebant neque flagitabant amplas allegationes ex scriptis eorum — quae omnia si spectentur allegationesque prae his considerationibus recte perpendantur, sunt plurimae potiusque mirandum est, quod tot fuerint.

Ad 2. Falsum est allegationes esse ambiguas vel aequivocas, id enim formae earum non patiuntur, ut dicantur potuisse etiam desumi ex traditione orali. Id non patiuntur allegationes formae primae (nominatim auctoribus citatis, sv ἀνωνύμως), ubi manifeste excluditur oralis traditio, quod etiam de secundae formae allegationibus valet. Neque id patiuntur allegationes tertiae formae, si habeantur nimirum diserta ex evangeliis verba tum pressius tum laxius accepta. Quemadmodum enim verba quae eandem phrasin geminant, indicant fontem, unde fluxere, ita praejudicium continent contra fontem qui non indicatur. Praejudicio decretorio identitas vel gemina ratio verborum excludit fontem traditionis oralis, qui fons omnino gratis asseritur.

Ad 3. Falsum est, in monumentis antiquissimis citari sola apocrypha, deinceps in sequioribus citari mixta cum illis nostra quatuor evangelia. Falsum est primum, in apostolicis enim monumentis allegantur apocrypha indubitate nunquam, citra dubitationem nullum testimonium, de quo constaret ejus origo apocrypha. Specietenus habentur tria vel quatuor exempla, quae nobis ab adversariis imponuntur, non probantur; in sequioribus autem monumentis nostra quatuor evangelia

allegantur constanter et ubique ab omnibus summa consensione, in uniformitate, crescente semper celebritate atque frequentia. E contrario apocrypha evangelia citantur raro, citantur ab aliquibus tantum Ecclesiae scriptoribus, ut plurimum tamquam apocrypha, cum manifesta dissensione et decrescente jugiter fama atque notitia apocryphorum, ita ut tandem penitus disparuerint. Ergo est manifestum discrimen inter allegationes quatuor evangeliorum interque allegationes apocryphorum; si spectentur monumenta aevi apostolici, manifestius adhuc exsurgit discrimen, si spectentur testimonia sequioris aevi. Falsum ergo est corollarium, quod ducunt adversarii, dicentes, ab initio potius apocrypha in usu fuisse omnium, quam nostra quatuor evangelia.

Ad 4. Nihil opinione illa falsius, multa ab initio fuisse ab initio apocrypha et pro veris habita. Pugnat id enim 1° cum modo dictis — pugnat 2° neque componi potest cum illis, quibus probavimus superiorem thesin; nominatim componi non potest cum facto exploratissimo, quo saeculis saltem IV et V quatuor evangelia haberentur veluti ὁμολογούμενα, quae semper et ab omnibus unanimiter fuerint accepta et recognita. Componi deinceps non potest, si spectetur Ecclesiae et ecclesiasticorum scriptorum character traditionalis; denique si spectetur eorum character scientificus et moralis, scire enim poterant et debebant diversorum evangeliorum originem auctoremve; idem conficitur, si spectetur gravitas rei, agebatur enim de quatuor columnis, quibus innititur Christianae doctrinae aedificium. Neque potest assertio illa componi cum consensione tertii et quarti saeculi, quo nostra evangelia habebantur tamquam genuina et authentica. Neque stare potest perversa omnique fundamento carens opinio cum scriptorum antiquissimorum manifesta declaratione, vix enim ea commemorant ac rejiciunt. —

Quoad numerum apocryphorum, reapse magna eorum videtur olim fuisse copia, quum nobis comperta usque ad quadraginta assurgant. Calmetus recenset triginta novem, Fabricius autem quadraginta in codice apocr. N. T. Videntur tamen eadem apocrypha nonnunquam varia nomina habuisse indeque numerus eorum multiplicatus esse; idem ex. gr. evangelium dicebatur secundum Ebionitas vel Nazarenos vel Aegyptios etc. Praeterea haec animadvertenda: pleraque omnino fuerunt deleta nobisque incomperta sunt; eorum, quae novimus, tantum fragmenta habemus, maximam quidem partem, ex iisque apertissimumque est id quod post Origenem docuere Augustinus et Hieronymus, conferta nimirum esse narrationibus modo insulsis modo falsis, mixtis sane nonnullis bonis ac veris. Denique omnia haec figmenta non existebant ante saec. III vel II, ea saltem, de quibus notitiam habemus, nam de ignotis non disputamus neque judicium ferre licet. Est ergo praeposterum atque ineptum argumentum, quod contra probatam evangeliorum unitatem petunt haeretici ex multitudine apocryphorum.

Ad 5. Commentum aeque est falsum et praeposterum, quod obtendunt de praeexistentia apocryphorum ante evangelia nostra. Id enim primo colligitur ex modo dictis, tum secundo probatur eo, quod gratis citra probationem fingitur contra probatam veritatem. Praeexistentia apocryphorum neque internis neque externis argumentis ab adversariis probatur. Quae quidem pertinent ad argumenta interna, solvemus illico, loquentes de ultimo commento, quae autem proferunt tamquam externa, paucissima ex prooemio S. Lucae, suo loco absolvemus contrariumque efficiemus.

At contra tum internis tum externis argumentis probatur contrarium, non est ergo eorum

simplex commentum, sed habet superadditam qualitatem pravitatis; et falsum est et praeposterum. Triplex autem est argumentum internum, quo ejus falsitas ostenditur:

1° falsum esse evincitur principio s. axiomate, statuto olim jam a Tertulliano, verum scilicet prius esse falso (de praescr. init.). Est enim falsitas aut veritatis meditata perversio aut praepostera veritatis imitatio, semper inde veritatem supponit et citra eam neque est neque concipitur. Itaque falsa evangelia posterius veris extitere.

2° Id confirmatur instituta collatione, facta jam olim a majoribus quaeque nunc etiam fieri potest ex fragmentis superstitibus. Apparebit pariter nostra genuina evangelia fuisse depravata ac corrupta, admixtisque commentis insulsisque mendaciis prodiisse apocrypha.

3° Nulla spe felicis successus fingi ab haereticis potuerant apocrypha, nisi jam extitissent genuina. Haeretici enim, ut cum aliqua specie veri felicisque successus imponerent apocrypha sua fidelibus, supponebant communem fidelium persuasionem de existentia genuinorum evangeliorum, editorum ab apostolis eorumque discipulis.

Hisce partim psychologicis partim ontologicis internis rationibus simul consideratis excludimus falsam ac suppositiciam adversariorum sententiam de praeexistentia apocryphorum, nisi habeant argumenta externa, contraria, quibus assertionem suam probent. Sed tantum abest, ut hoc facere valeant, ut habeantur potius argumenta externa, quibus tota eorum hypothesis rejicitur. Petimus ea ex iis, quae majores nostri dixerunt de origine apocryphorum. Dixerunt autem dupliciter, negantes et affirmantes. Itaque negant veteres plus semel aetate apostolica haereticos ausos fuisse fabricare

evangelia falsa, quia illico refutati fuissent. Accedit id quod veteres de evangeliorum origine affirmaverunt, idque passim, apocrypha evangelia cum aliis etiam apocryphis scriptis prodiisse ab haereticis, qui non extiterunt neque floruerunt nisi post aetatem apostolicam. Atqui genuina evangelia extiterunt aetate apostolica, dictis ergo Patrum affirmando et negando confutatur sententia, ante evangelia genuina extitisse apocrypha.

Audiamus aliqua veterum testimonia, ut iis quae diximus, magis fidatur. Ex testimoniis solemnibus publicae et ecclesiasticae catecheseos citamus S. Cyrill. Hieros. qui Catech. VI. n. 31 praecipit fidelibus, ne quis legat evangelium secundum Thomam, non enim esse unius e duodecim apostolis sed unius de tribus pravis Manis discipulis (sc. Thomae, Baddae, Hermae): μηδεὶς ἀναγινωσκέτω τὸ κατὰ Θωμᾶν εὐαγγέλιον· οὐ γάρ ἐστιν ἑνὸς τῶν δώδεκα ἀποστόλων, ἀλλ' ἑνὸς τῶν κακῶν τριῶν τοῦ Μάνη μαθητῶν. Atqui Manes Manichaeus non extitit aetate apostolica, sed post eam, novimus ergo ejusmodi evangelium, licet inscriptum apostoli nomine, neque ab eo neque ejus aetate compositum fuisse.

Cf. catech. IV n. 36 ejusdem auctoris: τῆς δὲ Καινῆς Διαθήκης τὰ τέσσαρα μόνα εὐαγγέλια· τὰ δὲ λοιπὰ ψευδεπίγραφα καὶ βλαβερὰ τυγχάνει. Ἔγραψαν καὶ Μανιχαῖοι κατὰ Θωμᾶν εὐαγγέλιον, ὅπερ εὐωδίᾳ τῆς εὐαγγελικῆς προσωνυμίας ἐπικεχρωσμένον, διαφθείρει τὰς ψυχὰς τῶν ἁπλουστέρων. Novi autem Testamenti sunt quatuor dumtaxat evangelia; nam caetera falso inscripta sunt et noxia. Scripserunt et Manichaei secundum Thomam evangelium, quod evangelicae appellationis fragrantia coloratum, simpliciorum animas corrumpit.

Similia habentur apud Irenaeum; lib. III, apud Athanasium in epistola festali (cujus generis epistolae ex epistolis pastoralibus erant solemniores); Epiph. haer. 30 n. 23. S. August. de consensione evangel. prooem. - deinceps de Actis cum Felice Manichaeo lib. II, 6. Qui alia plura legere hac de re desideret, adeat Grabbium, spicil. Tom. I. qui Leucium (l. Lucianum) dicit fabricatorem omnino capitalem scriptorum apostolicorum, fuit autem discipulus Manis. His addidit Millius in prolegg. ad critic. N. T. Severianos, posteriores aetate apostolica,

autem „de Manichaeorum haeresi" lib. I affert Montanistas, Marcionianos, alias Gnosticorum factiones, quae florebant post aetatem

apostolicam et excellebant in fabricandis libris spuriis. Ex iis quae a veteribus affirmantur de origine evangeliorum apocryphorum, constat origine tenus apocrypha posteriora esse genuinis. Ergo colligimus praeposterum plane esse, quatuor nostra evangelia defluxisse ab apocryphis; est illud quidem putidum et absurdum commentum. Quibus confectis accedimus

Ad 6, ad ultimum eorum commentum de praeexistentia alicujus evangelii originalis, ex quo veluti ex fonte communi quatuor nostra derivata sint. Est haec satis vulgaris lateque propagata opinio, quae olim Schleiermachero, Eichhornio, Eckermannio, Kaysero arridens, haereditate delata est ad ultimos Straussianos. Quam quidem opinionem, insulso nitentem commento, pudet omnino in publicum proferre, at magna erroris diffusio vetat, ne diutius silentio prematur.

Totam illorum opinionem erroneam fictamque esse trifariam efficitur, videlicet, si considerentur ejus hypotheses ac veluti conditiones, si consideretur thesis ipsa, qua exponitur, denique, si considerentur probationes et argumenta, quibus asseritur. Commenta sunt hypotheses, quibus innititur, sumuntur enim gratis, sumuntur praepostere, quumque ab illis initium sit faciendum, ut post eorum dirutionem thesis ipsa fundamento privata sponte corruat, statim ad singula accedimus.

1a hypothesis: Quatuor nostra evangelia multo post Christum fuisse exarata, certissime autem post apostolorum dispersionem.

Atqui id sumitur gratis, argumentis enim non probant; sumitur praepostere, argumentis enim probatur contrarium. Probatur quidem argumentis variis, quatuor nostra evangelia esse genuina, ergo multum post Christum, vel post apostolorum dispersionem non fuere exarata. Probatur contrarium speciatim iis argumentis, quibus singulorum evangeliorum aetas, qua unumquodque prodiit, determinatur ac de tribus quidem prioribus evangeliis statuunt viri docti (synoptica illa dicuntur), unum

ex illis scriptum esse ante dispersionem apostolorum, alia duo non multum post, prima ergo hypothesis est commentum et quidem praeposterum

2ª hypothesis: ante quatuor nostra evangelia extitisse plura scripta evangelica;

hoc autem commentum esse, probavimus capite superiori.

3ª hypothesis: eam fuisse sollertiam diligentiamque fidelium ab initio praedicationis evangelicae, ut eam promiscue multi litteris consignaverint;

Atqui hoc est commentum praeposterum; est quidem commentum, nullo enim argumento probatur; deinceps est praeposterum, pugnat enim cum usibus Ecclesiae primitivae, pugnat cum fidelium pietate, pugnat cum indole Ecclesiae primitivae. Diximus pugnare cum usibus Ecclesiae primordialis, quemadmodum enim apud Judaeos usus erat et lex, ne quisquam sacra et religiosa scriberet, nisi vel desuper habuerit vocationem vel a synagoga missionem – ut testantur Philo Judaeus et Josephus Flavius, ita hic usus a primordiis in Ecclesia retinebatur, coalescebat enim ex Judaeis. Sane prima fuit ecclesia Hierosolymitana, illa autem, ni fallor, constabat Judaeis.

Deinceps novimus et constat, ejusmodi usum fuisse conservatum in Ecclesia; constat praesertim ex iis, quae novimus de instituto notariorum et scribarum, qui scriberent ac transcriberent ea quae sacra et ad usum ecclesiae necessaria erant Euseb. H. E. lib. III. 37. Quo cum facto acerrime pugnat adversariorum hypothesis commemorata, tamquam primi fideles promiscue omnes apostolorum praedicationes quisque pro lubito atque ingenio suo, litteris mandarent. Sed eadem hypothesis pugnat cum fidelium pietate: ea enim erat tum temporis fidelibus et pietas et sollertia, ut penitus penderent a nutu superiorum atque ideo pendebant etiam a nutu apostolorum in scribendis illis, quae praedicabant, si quae scripsissent.

Sed veterum testimonio constat, cum nutu et approbatione apostolorum non fuisse scripta nisi tria evangelia, et sub finem primi saeculi quartum (videlicet duo scripta ab apostolis, duo ab illis approbata, alterum a Petro, alterum a Paulo), ergo ferri non potest mendax et frivola adversariorum assertio.

Denique pugnat illa hypothesis quam maxime cum illius aetatis indole ac moribus, quos non oportet cum nostris temporibus confundere. Id quod ipse Gieseler, Rettich, alii in ephemeridibus Giessen. critic. contestantur, verum est, illa aetate neque Romanos neque Judaeos propensissimos fuisse ad scribendum, quia ars et facilitas scribendi non patebat vulgo; non erat communis nec vulgaris, atque adeo non quisque promiscue sciebat scribere nec habebat, quo scriberet – ergo tolerari nequit hypothesis illa, fideles quidquid audiebant ex ore apostolorum, statim litteris mandavisse. Commentum pariter insulsum est

4a hypothesis: quae propemodum cum tertia cohaeret: ab initio omnia, quae apostoli praedicabant, litteris consignata fuisse, nimirum nihil praedicabant, quod prius non scripsissent.

Sed hoc opponitur ipsi institutioni Chti Salvatoris, opponitur illis, quae leguntur in evangeliis nostris, dicta a Chto, instituente suam oeconomiam; pugnat cum dictis apostolorum et universae doctrinae Patrum. Nulla autem est ratio, qua hypothesim suam firmare conantur, haec est nimirum: necessarium fuisse, ut apostolica praedicatio scriberetur ad conservandam unitatem praedicationis, sed haec ratio invalida est et prorsus nulla. Praesto enim erant ad conservandam unitatem apostolicae praedicationis media ordinis tum naturalis tum supernaturalis. Erant praesto media naturalia uti est autopsia, scientia de visu, tum veridica et fidelis testificatio. Si veridice ac fideliter testificatio exercebatur, profecto unitas conservabatur doctrinae. Haec tamen media quum in institutione fidei non sufficerent, praesto erant alius generis, sc. supernaturalia: instituta

testificatio praeordinatorum testium, tum promissio Spiritus S. et ejus assistentia. Haec media sufficiebant erantque necessaria et ad haec provocabant ipsi apostoli, videlicet, ad autopsiam, ad fidelium testificationem, tum ad institutionem praeordinatorum testium (Ita Petrus in Actibus), denique ad promissionem Spiritus Sancti. Idem Patres faciunt. Ergo ratio necessitatis, qua utuntur ad suam firmandam hypothesin, nulla esse apparet, sine qua temen unitatem fidei non posse uti putant, explicari.

Alii itaque dicunt, primos evangelii praedicatores usos fuisse typo quodam evangelicae praedicationis, et alii quidem hunc typum dicunt scriptum, alii oralem, sic ut apostoli memoria tenerent typum praestitutum, quem ubicumque praedicarent vel potius repeterent. Ita Gieseler cum multis aliis. Opinantur autem primos praedicatores indiguisse tali typo ad conservandam unitatem apostolicae praedicationis.

Dicunt alii primos fideles usos esse scriptis apostolicae traditionis et indiguisse ejusmodi scriptis ad retinendam conservandamque apostolicam praedicationem. Alii, immo vero plerique non putant nulla, nominatim autem nostra quatuor evangelia aetate apostolorum extitisse, sed tardius in lucem prodiisse. Atqui haec tria commenta sunt, et quidem praepostera, nullis enim argumentis probantur, sed argumentis excluduntur tum externis tum internis.

Non probatur, sed excluditur primum, necessitatem extitisse evangelii primordialis sive scripti sive oralis ad unitatem evangelicae praedicationis obtinendam. Atqui quemadmodum ad retinendam unitatem apostolicae praedicationis sufficiebat autopsia et pro ordine supernaturali sufficiebat assistentia Spiritus S. qua excellebant omnes apostoli, ita excluditur necessitas typi originalis sive scripti sive oralis. Immo vero ejusmodi typus scriptus, et multo magis oralis nequit componi cum praeroga-

tivis apostolorum, cum eorum dignitate atque charactere. Ergo existentia ejusmodi typi primitivi excluditur argumento interno.

Non probatur, sed excluditur alterum commentum, necessaria fuisse scripta evangelicae et apostolicae traditionis, ut fideles retinerent et conservarent eam. Quemadmodum enim ad retinendam apostolicam traditionem sufficiebat praeordinata testium series, et sufficiebat testium veracitas et fidelitas, pro ordine autem supernaturali sufficiebat assistentia Spiritus S. quo protegebantur testes contra errorem et ignorantiam, ita necessitas scriptorum ex sese excluditur. Scriptis schedis apostolicae praedicationis profecto non indigebant fideles. Si quae dicatur tamen adesse convenientia scriptorum et congruitas atque utilitas, aderant quatuor evangelia genuina, quae profecto satisfaciebant omnibus.

Est commentum, si spectetur thesis, si spectetur ejus expositio et declaratio. Commentum est ipsa thesis de evangeliorum origine, ut patet illatione ex dictis, deinceps, spectata dissensione expositionis et spectata manifesta confictione. Si theseos declaratio et expositio consideretur, est mirabilis dissensio, deinde manifesta fictio ac compositio ex arbitrio facta.

Primum est commentum, ut patet per illationem ex dictis. Quod enim commentis innititur, nequit non esse commentum; sunt autem hypotheses commenta ut demonstravimus superius.

Ejusmodi etiam thesis est, si spectetur in se atque prae sua expositione et declaratione, nimirum tria priora evangelia, quae synoptica dicuntur, supponere fontem originalem, ex quo fuerint derivata. Hoc modo thesis ab omnibus istis viris proponitur. Sed in expositione omnes dissentiunt inter se, quod unus affirmat, alter negat, et quod hi ambo protulerunt, tertius subvertit. Alii enim dicunt, fontem illum fuisse scriptum (Eichhorn, Semler, alii) alii oralem fuisse putant; tertii utrosque sociati contendunt fuisse illum fontem simul et una

et scriptum et oralem. Rursum alii dicunt fontem originalem scriptum fuisse unius modi quo ad rem et quo ad formam et ita profecto declarant trium priorum evangeliorum consensionem. Ad explicandam vero dissensionem eorundem evangeliorum Eichhornius aliique admittunt unum quidem fontem quoad rem, non vero quoad formam. Extitisse illam in variis linguis, ita ut Matth. forsitan usus sit redactione aramaica, Lucas vero Marcusque aliquo exemplari graeco.

Sed tria evangelia etiam quoad rem differunt. Hinc alii dixere fontem originalem non fuisse unicum sive quoad rem sive quoad formam, sed quoad rem diversum. Et ita alii admittebant plura integra evangelia originalia, alii tantum partes unius originalis evangelii, varias schedas unius evangelicae praedicationis, quae in unam conflatae constituunt summam evangelicae traditionis. Tum alii evangelistae aliis schedis usi sunt; hinc et diversitas et unitas eorum operum explicanda.

Crevit dissensio, adjecta de fonte originali qui fuerit oralis: dicunt alii, primum extitisse fontem originalem ore traditum et per varias traditiones orales prodiisse varias formas praedicationis evangelicae; has fuisse litteris consignatas et exinde prodiisse nostra quatuor evangelia. Alii dicunt, extitisse ab initio fontem scriptum, ex fonte scripto profectas esse varias traditiones orales, quum variis in locis vario modo uterentur fideles illo typo scripto; denique secundum has varias traditiones orales quatuor composita fuisse evangelia nostra.

Alii dicunt extitisse ab initio fontem originalem scriptum; prodiisse secundum hunc fontem varias formas evangelicae historiae, illas fuisse litteris consignatas, iterum ore traditas, inde postremum fluxisse nostra quatuor evangelia. Quilibet scribens adjungebat illud, quod sibi videbatur utile, ut posset explicare ~~omnia~~ phae-

nomena tum unitatis tum discrepantiae in singulis evangeliis. Hic apparet mira et auctorum dissensio et affirmationum contradictio, deinde manifesta ex arbitrio confictio. Est ergo ejusmodi thesis merum ac praeposterum commentum.

Commentum pariter est, si spectetur thesis pro rationibus, quibus asseritur: admittunt enim fontem originalem ad explicandam tum dissensionem tum consensionem quatuor evangeliorum. Atqui haec valida argumenta non sunt et multa sunt argumenta, quibus contrarium evincitur.

Non haec est valida ratio, etenim ad explicanda phaenomena non sufficit, ad quae explicanda adstruitur. Etenim si unus admittatur fons originalis sive secundum rem sive secundum formam, explicatur quidem consensio, non explicatur dissensio. Ergo statuendum est Marcum et Lucam adjecisse multa ex arbitrio, vel fontem originalem unum non sufficere.

Si autem admittatur fons originalis diversus, explicatur dissensio, nullatenus tamen explicari potest consensio, ergo thesis, quam proponunt adversarii nostri, nullo modo valet ad explicandum id, quod explicare debet.

Quemadmodum si omnes sententiae, quibus varii auctores utuntur ad explicandam tum diversitatem tum consensum evangeliorum, simul si considerentur, habetur maxima et apertissima discordia, ita singulae seorsim si accipiantur, nulla earum sufficit ad finem, ad quem accipitur. Cf. Tobens, commentarius in N. T. prolegg. VI. Hugh in responsione Straussianis, de antilogiis N. T. – Itaque insufficiens est ratio interna et est inepta neque necessaria, adeoque arbitraria. Alia ratio ab illis non datur, nullum argumentum externum promunt, licet agatur de facto, unde rite conjiciat aliquis, argumenta illis deesse. Ad explicanda autem phaenomena tum diversitatis tum consensus evangelistarum alia habetur ratio, quemadmodum sufficiens tum necessaria allataque semper fuit ab interpretibus

orthodoxis, non tantum recentioribus, sed antiquissimis, haecque ratio consenta intime est cum veritate quatuor evangelia nostra genuina esse et originalia et quatuor evangelistas non esse plagiarios, sed veros auctores. Affirmantur enim plagiarii, si admittatur originale aliquod evangelium. Porro ratio componendi harmoniam trium, immo quatuor evangeliorum, est omnino consenta ex orthodoxis interpretibus cum hac veritate, quatuor evangelia esse genuina itemve originalia, ita ut non penderint scriptores eorumdem ex fonte vel fontibus originalibus, atque evangelistas non esse transcriptores, sed originales auctores. De his videbimus plura tum, quum de singulis evangeliis et evangelistis loquemur. Apparet ergo rationem internam et esse ineptam et omnino arbitrariam, quatenus nullatenus explicat ea quae explicare praesumit. Est praeterea falsa et praepostera, quod argumentis externis efficitur, atque adeo argumentis omnino ad rem accommodatis propriisque, nam de facto agitur. Factum autem externis debet argumentis defendi ac stabiliri.

Atqui auctoritate majorum probatur, quod dicunt de originali aliquo evangelio, ex quo nostra tria evangelia priora fuerint derivata, esse penitus falsum et praeposterum. Id ostenditur majorum silentio et majorum sententiis dictis et non dictis. Ostenditur primum silentio; de originali enim evangelio silentium est apud scriptores sacros, ecclesiasticos ac profanos et haereticos. Est silentium XVII saeculorum; usque ad XVIII tacetur de originali evangelio, unde fluxerint nostra genuina. Atqui ejusmodi silentium est negans simul et excludens, neque explicari potest nisi excluso originali evangelio. Nimirum propterea omnes silent, quia non extitit, ergo neque tria nostra priora inde originem habent.

Est silentium facundum, loquax, loquitur exclusionem eo loquacius, quod scriptores sacri et imprimis S. Lucas etiam minuta retulerunt de origine

apostolicae praedicationis fideliumque institutione, sed de originali evangelio omnino tacent. Tum Patres scriptoresque ecclesiastici diligentissime investigarunt in originem nostrorum evangeliorum, sed de originali aliquo evangelio nihil noverunt. Praeterea haeretici accusabantur a Patribus et orthodoxis scriptoribus veluti plagiarii nostrorum evangeliorum genuinorum, sed profecto, si extitisset originale evangelium, secundum quod quatuor nostri evangelistae exarassent sua, ita ut et ipsi fuissent plagiarii, haeretici retorsissent argumentum, sed nuspiam recurrit ejusmodi genus argumentandi. Ergo indicium est, nuspiam ejusmodi evangelium extitisse et evangelistas fuisse auctores proprios et originales. Silent ergo et silent in gravissima tali re, maximi momenti, quale certe est originale evangelium. Quod silentium nullatenus explicari potest, nisi dicendo, falsum esse et praeposterum, admittere originale evangelium quod fuerit veluti fons eorum quatuor, quae usque ad nos pervenerunt.—

Sententiae accedunt silentio: sententiisque dictisque Patrum de nostris evangeliis excluditur originale illud evangelium tamquam eorum fons communis. Quae enim Patres dicunt de auctoribus evangeliorum nostrorum, quos veluti originales describunt; quod dicunt de scriptione eorum, de loco et tempore, de scribendi causis et occasionibus, de scribendi fine et intentione, de mediis deque praesidiis, componi nullo pacto possunt cum et existentia originalis evangelii, ex quo nostra fuerint derivata. Ergo iis, quae Patres dicunt circa quatuor nostra evangelia excluditur ratio et argumentum, quo probant thesin de originali suo evangelio. Ergo est falsum et praeposterum quod ab iis in thesi affirmatur.

Quibus accedunt tandem haec duo alia argumenta:

1° Si originale aliquod evangelium extitisset et ex eo nostra fuissent derivata, illud esset profecto originale et genuinum, atque adeo quinque genuina

admitti deberent evangelia. Atqui Patres unanimi consensu numquam cognoverunt plures quam quatuor, ergo non potest tolerari hypothesis de evangelio originali.

2° Sententiae propemodum omnes adversariorum de originali aliquo evangelio non sunt nisi corruptelae eorum, quae traduntur a nonnullis vetustis Ecclesiae scriptoribus. Nam primo id quod dicunt de originali evangelio, quod fuisset evangelium apostolicae praedicationis, est corruptela vetustae traditionis, quam Rufinus commemorat in explicatione symboli apostolorum: videlicet apostolos, antequam dividerentur in universum mundum, composuisse symbolum apostolicum, tamquam typum originalem eorum quae credi debent. Hanc traditionem perverterunt adversarii nostri, fingendo originalem typum apostolicae praedicationis s. evangelium originale. Atqui quemadmodum quatuor nostra evangelia nihil habent commune cum symbolo apostolorum; ita ex ~~[illegible]~~ eo non poterant derivari. Aliud enim symbolum est, aliud historia evangelica.

Rursum quod legitur apud veteres, sed frequentius Marcum et Lucam usos esse priori evangelio, id illi corrumpant dicentes, extitisse originale evangelium, ex quo evangelistae priores sua evangelia duxerint. Atqui quando veteres dicunt, Marcum et Lucam usos esse priori evangelio, id intelligunt de evangelio genuino, authentico, inspirato S. Matthaei non vero de aliquo evangelio originali a tribus nostris evangeliis distincto. Secundum enim Patres illos Matthaeus primus scripsit ejusque evangelium noverunt Marcus et Lucas, quemadmodum Joannes novit tria priora.

Porro quando addunt veteres secundum relationem Papiae, evangelium primum illico translatum fuisse in varias linguas, id corrumpant Eichhornius et qui eum sequuntur, dicentes extitisse ab initio originale evangelium multiforme in variis linguis vulgatum.

Praeterea id quod apud veteres legitur non raro

Marcum et Lucam fuisse interpretes apostolorum, Marcus Petri, Lucas autem Pauli; id corrumpant dicentes extitisse originale evangelium, quod completeretur apostolicam praedicationem, ex qua derivata fuissent tria nostra priora evangelia.

Tandem, ut alia praetermittamus, id quod legitur apud veteres, de occasione et causis scribendi evangelia, nominatim Matthaei et Marci, a quibus petebant fideles tum Hierosolymitani tum Romani, ut litteris consignarent historiam evangelicam, quam apostoli ore praedicassent, id corrumpant dicentes, extitisse originale evangelium illudque fuisse necessarium, ut fideles conservarent praedicationem historiae evangelicae. Ex his enim aliisque similibus dictis veterum colligitur quidem, nostra tria priora evangelia genuina esse et authentica atque instituimur accurate de causis fineque scribendi; nullatenus vero, extitisse aliquod originale evangelium, quo usi fuissent evangelistae ad compilanda sua.

Quae omnia si in summam contrahantur, apparet in sententia de originali evangelio nihil esse, quod non sit arbitrarium ~~aut~~ et confictum falsum et praeposterum; aut ineptum et insulsum. Subjungimus

Corollarium I. Ex dictis apparet, non facile concedi debere, quod permittit Dupin in prolegomenis ad Novum Testamentum c. 1 § 2 scribens, supponi posse, ab initio Ecclesiae extitisse plura evangelia. Ex dictis patet, hoc non facile posse concedi, maxime si quatuor evangelia dicuntur in usu Ecclesiae fuisse vel fuisse inter fideles recepta communi consensione.

Corollarium II. Etiam illud penitus ineptum censeri debet, quod alii contendunt, unum tantum esse genuinum et authenticum evangelium (quod proprie deberet esse originale illud), propterea nimirum, quod unum tantum sit necessarium unumque sufficiat. Ineptum hoc esse patet, quaeritur enim, quando de numero evangeliorum quaeritur, quot de facto

existant et quot Deus in sua benevolentia nobis voluerit concedere. Non autem quaeritur de jure neque quot ex ipsis rerum naturis vel sufficiant vel necessaria fuerint. Nam ex rerum natura nullum est necessarium evangelium, sufficit traditio. Cur vero Deus in sua sapientia et providentia plura nobis voluerit concedere evangelia, Patres cum Augustino, cum Chrysostomo hanc praeclaram reddunt rationem (Aug. IV serm. de

Chrysost. in epist. ad Galat. I), voluisse Deum, ut plures evangelistae scriberent et ut plura haberemus evangelia, ut si plures ab invicem diversi scriptores, in diversis adjunctis, diversis in locis libros suos composuissent, evangelica historia hominibus redderetur contestatior, firmior, certior persuasuque facilior. Utile ergo fuit, inquiunt, et sapientissimum, quod Deus non unum sed plures suo Spiritu S. inspiraret ad scribenda evangelia.

3. De inscriptionibus vel titulis evangeliorum.

~~Quaeri~~

Quaeritur hoc capite sintne tituli scripti ab ipsis evangelistis atque adeo et ipsi inspirati, scripti videlicet ab inspiratis divino afflatu scriptoribus. Statuatur haec

Thesis. Etiamsi inscriptiones evangeliorum κατὰ Ματθαῖον, κατὰ Μάρκον etc. ab ipsis evangelistis divinitus inspiratis non sint, antiquissimae tamen et authenticae sunt atque ipsos genuinos evangeliorum auctores declarant.

Thesis haec duas habet pars, quarum prior in obliquo, posterior in recto pronunciatur. Prior immediate est simplex atque historica, sed mediate complexa et theologica; altera autem est composita, tribus quidem membris, quorum primum est historicum, secundum theologicum, tertium exegeticum. Accedamus jam ad primam partem, quae et simplex est et historica: ostenditur duplici argumentorum genere, scilicet non ab ipsis evangelistis

divinitus inspiratis profectas esse inscriptiones; demonstratur genere interno atque genere externo. Primum genus duplicis est formae, negantis et excludentis.

Argumentum formae negantis ita habet: quando hagiographi sive inspirati divinitus scriptores sua nomina apponunt, ex usu universali tam V. quàm N. T. nomina sua ipsi textui inserunt. Quod ex litteris B. Pauli patet, excepta epistola ad Hebr. Ità prophetae quoque V. T. nomina sua perhibent. Atqui inscriptiones evangeliorum non sunt textui insertae, sed penitus sejunctae, ergo ex inductione universali inferimus, ab ipsis inspiratis auctoribus non fuisse appositas.

Accedit argumentum itemque internum formae excludentis. Est illud quidem ex sese partiale et inadaequatum, propter paritatem tamen rationis est universale et adaequatum. Petitur ex evangelio Marci. Quod autem de inscriptione Marci valet, de omnibus valere debet evangeliorum inscriptionibus.

S. Marcus ab initio sui evangelii amplexus est alium titulum, dicens: ἀρχη του ευαγγελιου Ἰησου Χριστου, initium evangelii Jesu Cristi, quem titulum ipsi textui ab initio inseruit, ita ut alia inscriptio non haberet amplius locum. Ex internis ergo argumentis, quantum quidem satis est in quaestionibus ejusmodi, colligitur jure recteque, inscriptiones evangeliorum ab ipsis divinitus inspiratis scriptoribus non fuisse evangeliis appositas.

Idem ipsum probatur argumentorum genere externo idque bifariam constituitur ex tabulis testibusque. Tabulae dicuntur instrumenta, testes sunt ipsi auctores. Itaque ex instrumentis sive vetustis codicibus et editionibus evangeliorum constat variationem esse titulorum s. inscriptionum, et dum alia habent simpliciter: evangelium secundum Matthaeum vel secundum Marcum, alia habent: evangelium Jesu Cristi secundum Matthaeum et alia

habent: s. evangelium secundum Matth. Itaque habentur collatis instrumentis variationes titulorum; atqui, si inscriptiones forent ab ipsis auctoribus inspiratis, consideratis studiis, spectatis curis Ecclesiae in conservando genuino textu inspirato, nemo facile dixerit in ipsas inscriptiones tales potuisse irrepere variationes. Ergo ex instrumentis saltem suadetur, ut moderati simus, inscriptiones ab ipsis auctoribus inspiratis non esse.

Idem persuadetur ex testibus sc. auctoritate majorum et consensione recentiorum: auctoritate quidem majorum seu veterum scriptorum ecclesiasticorum. Etenim dum negative nulla habentur testimonia, quibus veteres scriptores edixerint, inscriptiones evangeliorum esse ipsorum auctorum inspiratorum, contra positive habentur testimonia, quibus veteres scriptores edixerunt, inscriptiones evangeliorum non esse auctorum divinitus inspiratorum. Nullum testimonium luculentius est, quam quod habetur apud S. Chrysostomum qui sane dignus, qui audiatur. Homil. in ep. ad Rom. c. I. quaerit, cur evangelistae suum nomen non adscripserint evangeliis suis, dum Paulus suis epistolis, sola epistola ad Hebr. excepta, suum constanter nomen adscripserit. Sanctus pater duplicem habet rationem, quarum alteram petit ex usu historicorum V. T., alteram ex discrimine adjunctorum, in quibus versabantur scriptores librorum historicorum et scriptores epistolarum. Prima ratio ita habet: Historicus scriptor Moyses qui scripsit quinque libros, numquam apposuit nomen suum ipsumque secuti sunt reliqui historici scriptores V. T. Itaque usu et more scriptorum historicorum V. T. nomen auctoris libro non apponitur, quem usum sacri etiam historici scriptores N. T. observavere.

Ecce altera ratio, petita ex discrimine adjunctorum: Historici habebant lectores praesentes, scriptores vero epistolarum habebant lectores absentes, quare non erat necesse, ut pro praesentibus apponeretur nomen,

quod conveniebat pro absentibus facere. Ex qua quaestione et responsione manifestissimum est, S. Chrysostomum dixisse, titulos evangeliorum non esse ipsorum divinitus inspiratorum auctorum. Hinc plerique omnes recentiores consentiunt, titulos evangeliorum tribui non posse ipsis divinitus inspiratis auctoribus. Ita Dupin, prolegg. in N. T. pars II, disquis. praelim. 1 § 2. P. Goldhab introductio in Sacram Scripturam, pars III in N. T. Marchini, de divinitate et canonicitate sacrar. script.

Mediate hac in re significatur aliquid, quod est theologicum, infertur enim, inscriptiones non esse divinitus inspiratas. Num propterea inscriptiones non sunt? an non sunt authenticae? De his secunda pars theseos agit, in qua tria continentur: declaratur aetas, significatur auctoritas, proponitur inscriptionum significatio.

Primum de aetate. Licet ab ipsis quatuor evangelistis inscriptiones non sint, sunt tamen antiquissimae, quod multiplici ratione persuadetur

1° ex antiquissimis codicibus sacrorum evangeliorum, in quibus inscriptiones, licet forma nonnihil varient, quoad substantiam habentur;

2° idem colligitur ex antiquissimis versionibus, quae ad II, nisi ad I saeculum assurgunt; habentur ibi inscriptiones eaedem;

3°. ex antiquissimis canonibus, inter quos eminet catalogus s. canon sacrarum scripturarum a Muratorio primum vulgatus, tribuitur autem saeculo III ini. vel II labenti. Veniunt ibi quatuor evangelia cum suis titulis;

4° ex vetustissimis Ecclesiae scriptoribus, apud quos commune est et vulgatum, allegare evangelia cum suis titulis. Hinc

5° argumento praescriptionis: in vetustissimis Ecclesiae monumentis tituli evangeliorum communi usu et vulgatissimo recurrunt, ergo sunt et dici debent anteriores saeculis III et II labenti; assurgunt ergo ad initium II saeculi, vel etiam ad primum. Quod confirmatur

6° inspectis rerum naturis: apponuntur enim

inscriptiones ad distinctionem, et videntur tum necessariae fuisse, quum primum evangelia colligerentur in unum codicem, δωρον; sed collectio in unum volumen est antiquissima probabileque est quam primum factam fuisse.

Tandem confirmari potest argumento interno critico, quo aliquis usus est, ut assereret inscriptiones ipsis auctoribus inspiratis: nimirum si inscriptiones essent recentioris aevi, non diceretur κατὰ Ματθαῖον, sed κατὰ ἅγιον vel τὸν ἐν ἁγίοις Ματθαῖον. Atqui hoc pro nobis pugnat, nam antiquissima aetate, communi usu et more, non apponebantur ejusmodi epitheta viris ecclesiasticis, sed summa simplicitate dicebatur – ergo valet argumentum ad asserendam antiquitatem inscriptionum, quamvis non valeat, ut asserantur ipsis auctoribus inspiratis. Colligimus igitur, antiquissimas esse evangeliorum titulos.

Alterum membrum theseos est theologicum, pertinens ad pretium inscriptionum. Ex iis enim, quae praemisimus, novimus, inscriptiones ejusmodi fuisse receptas usu ecclesiastico, et quidem inde ab antiquissima aetate, usu universo, usu porro constanti et perpetuo, usu concordi et uniformi. Fuerunt ergo in Ecclesia et ab Ecclesia probatae, probatae tabulis et testibus: tabulis πρακτικῶς i.e. factis, testibus autem θεωρικῶς i.e. dictis verbisque disertis. Habent ergo inscriptiones evangelicae ecclesiasticam auctoritatem simulque ecclesiasticam veritatem, sunt ergo authenticae. Quod enim auctoritate veritateque excellit, illud authenticum est et dicitur. Porro gravissima et ecclesiastica auctoritate pollent inscriptiones evangeliorum, et quum ecclesiastica auctoritas ponit simul veritatem, sunt omnino authenticae. Quare licet inscriptiones illae genuinae non sint, quemadmodum genuina sunt ipsa evangelia, nempe non sunt neque originales neque inspiratae, nihilominus convenit illis αὐθεντία, i.e. auctoritate excellunt et veritatem dicunt infallibiliter certam.

Schraderiana 9.

Sed quaenam est veritas, quam edicunt? De ea tertio theseos membro agitur. Videlicet edicunt et declarant, quinam sint evangeliorum auctores. Inscriptiones scilicet evangeliorum „secundum Matthaeum" etc. significant Matthaeum etc. esse proprios et veros et genuinos et originales evangeliorum auctores. Quod probatur argumento interno et argumento externo.

Argumento interno evincitur, quoniam id apparet ex obvio communique ejusmodi verborum sive phraseon intelligentia et acceptione. Quicunque talem inscriptionem legit, is sensum obvium atque communem hunc illi subjicit.

Probatur argumento externo i. e. consensione christiani nominis, consensione universali, constanti, uniformi quoad rei substantiam. Fideles nunquam et nuspiam usque ad XVIII saec. aliter verba intelligebant, quam eo sensu, quo diximus, scilicet verba „secundum Matthaeum, secundum Marcum" etc. significare Matthaeum, Marcum etc esse evangeliorum genuinos, veros ac proprios auctores. Unde efficitur ea, quam subjicimus

Thesis. Hinc omnino praepostere contenditur, dictiones illas κατὰ Ματθαῖον, κατὰ Μᾶρκον etc. ita esse accipiendas, ac si per easdem originales Matthaei, Marci etc. fontes vel typi significarentur, ex quibus vel ad quos quatuor nostra evangelia deinceps fuissent expressa.

Rettig (ephemer. theol. Giessen.) contendit phrasin illam: „evangelium secundum Matthaeum" (idem de reliquis valet) significare evangelium scriptum secundum Matthaeum, unde per ipsas inscriptiones evangeliorum significari typos evangelicos, ex quibus nostra fuerint postea expressa. Est speciosum profecto commentum, neque id negamus, sed verum non est, quod multiplici ratione ostendi potest.

Primum illatione ex illis quae diximus. Scilicet ex duobus postremis argumentis, tum interno tum externo, infertur praeposterum esse illud commentum.

Etenim

1° sensus verborum obvius atque communis citra necessariam causam non debet in alium sensum detorqueri, atqui non adest causa necessaria detorsionis, immo nulla adest, ergo retinendus est sensus obvius idemque communis.

2° Interpretatio verborum quae obtinuit per septemdecim saltem saecula, consensione universali consensione constanti et uniformi, in re gravissima quaeque pertinebat ad omnes, qui cognoscebant illa verba, ea a sano interprete et multo minus ab interprete christiano, in alium sensum accipi non potest neque a recepto sensu detorqueri. Atqui talis est et res et talis consensio, ergo acceptio et interpretatio harum phrasium non debet detorqueri in alienum sensum.

Accedit argumentum philologicum, petitum ex usu loquendi. Significatio verborum, quae communi loquendi usu certam ratamque habet significandi rationem, praepostere detorquetur in alium sensum. Atqui inscriptiones evangelicae secundum communem loquendi usum habent illam certam significandi rationem, qua exhibent auctores, ergo detorqueri non debet. Usu profano, usu sacro, usu ecclesiastico phrasis κατὰ Ματθαῖον vel κατὰ Μάρκον etc. idem significat ac Matthaeo auctore si praepositio κατὰ est periphrasis genitivi, ita ut κατὰ Ματθαῖον idem sit ac Ματθαίου quod oportet ostendi ex usu triplici loquendi, profano, sacro, ecclesiastico.

1° Occurrit quidem phrasis illa apud auctores profanos classicos. Ita Plat. Cratyl. IV: κατ' Εὐθύδημον, auctore Euthydemo. Idem ib. XVIII καθ' Ἡράκλειτον, auctore Heraclito. Athenod. lib. I. 10 ὁ Ζηνόδοτος ἐν τῇ κατ' αὐτὸν ἐκδόσει γράφει scribit in sua editione – ergo explicato, data in superiori thesi cohaeret quam optime cum usu loquendi profano.

2° Idem efficitur ex usu sacro: Maccab. II. 2, 13.

ἐν τοις ὑπομνηματισμοις κατα Νημιαν, in commentariis Nemiae. Neque
3° deficit usus ecclesiasticus, uti apparet ex Euseb. H. E. lib. III. 24
Probatur ergo id, quod in thesi asseruimus, ex triplici loquendi usu, profano et sacro et ecclesiastico. Unde constat eam quam statuimus interpretationem, retinendam esse.

Argumentum aliud innititur auctoritati doctorum interpretum et virorum eruditorum in rebus philologicis, grammaticis, lexicologicis et praetermissis catholicis, nominamus solum Elsnerum, hominem protestantem, in observatt. philol. in evang. Lucae. Addantur: Segaar, observatt. sacrae et philol. in idem evang. Heidinger, ench. bibl. lib. III. de evang. Matth.

Ecce quae dicit Fischer, in prolusionibus de vitiis lexicologicis N. T.: κατα jungitur casui quarto nominum pronominumve personarum et rerum, vel ita, ut declaret auctorem et dominum ejus rei, cujus vocabulum additum est, atque adeo latine reddi genitivo nominis personae pronominive personali possit vel possessivo, ut κατα Ματθαιον εὐαγγελιον est evangelium Matthaei, et apud Aelian. ἡ κατ' αὐτον ἀρετη est virtus ejus; ἡ καθ' ὑμας ἀρετη virtus vestra; et apud S. Paul. ad Ephes. I. 15. ἡ καθ' ὑμας πιστις ἐν τῳ Κυριῳ Ἰησου, fides vestra in J. Chr. Ergo auctoritate doctissimorum virorum efficitur praeposteram esse interpretationem, excogitatam ab criticis istis.

Ultimum argumentum internum criticum habet simul vim polemicam, qua rejicitur ratio, quam opponunt critici isti contra interpretationem communem. Dicunt; si per vocabula „Matthaeum, Lucam" etc. in phrasibus „secundum Matthaeum" etc. significaretur autor, adhibitus fuisset genitivus: evangelium Matthaei etc". Atqui haec ratio nulla est
1° ex dictis: circumscribi enim potest genitivus;

2° evertitur opposita ratio duplici causa tum theologica tum grammatica

a) grammatica haec est: non fuit adhibitus genitivus, ne duo concurrerent genitivi. Inscriptio enim est et fuit: evangelium Jesu Christi. Si ergo adjunctus fuisset auctor pariter casu genitivo, haberentur duo genitivi: Jesu Christi et Matthaei vel Marci. Atqui hoc ferri non potest, quemadmodum nemo dixerit: vita Platonis Plutarchi et alia ejusmodi. Erat ergo ratio grammatica, cur non adhiberetur genitivus ad significandum auctorem. Accedit gravior

b) ratio theologica: Scriptum fuit a viris ecclesiasticis: sec. Matthaeum vel Marcum, ut conservaretur Scripturae sua dignitas. Haec autem duplex est: altera ex ipso objecto, unde petitur denominatio, quae est Jesu Christus; altera petitur ex auctore. Qui autem princeps auctor sit Spiritus S. ergo potius dicendum erat: evangelium Spiritus S.; est enim verbum Dei, si auctor esset per genitivum exprimendus, qui casus possessionem indicat et proprietatem. Dicitur ergo vere et proprie: evangelium Jesu Christi sec. rationem scribendi Matthaei, Marci etc.

Corollarium 1. Hinc perperam interpretatur Rettig verba inscriptionis: κατὰ Ματθαιον, κατὰ Μαρκον sic: evangelium scriptum praeeunte Matthaeo, Marco vel evangelium scriptum ex schedis Matthaei, Marci. Quod esse praeposterum, ex dictis apparet.

Corollarium 2. Perperam pariter explicant Rettig, Kayser et qui illos sequuntur, verba Papiae apud Eusebium: Ματθαιος ἑβραικῃ διαλεκτῳ τα λογια συνεταξε, de illis typicis sermonibus ipsius Christi. Atqui verba τα λογια alludunt ad verba Pauli ad Rom: Judaeos habuisse τα λογια του θεου, ergo Matthaeus composuit verbum evangelicum s. divinum; sunt Dei verba non Matthaei. Pervertunt iidem verba Justini, de quibus jam mentionem fecimus: ἀπομνημονευματα των ἀποστολων false de schedis apostolorum interpretantes.

4. De ordine quatuor evangeliorum.

Ordo librorum desumi potest et potuit a dignitate, a tempore, a rebus: a dignitate non evangeliorum in se spectatorum, sunt enim omnia ejusdem dignitatis, sed a dignitate scriptorum; et potest desumi a tempore quo fuerunt scripta et potest desumi a rebus narratis in evangeliis sec. successionem, qua res evenerunt. Secundum quam triplicem ordinandi rationem habetur diversus isque triplex ordo. Hinc affirmamus in nostra thesi:

<u>Thesis</u>: Etsi non unicus, attamen antiquissimus est itemque communis ordo, quem evangelia nunc in probatis receptisque bibliorum editionibus habent.

Probatur primum tabulis s. instrumentis et testibus. Porro in antiquo cod. Cantabr. et in cod. antiquo Vercellensi, qui tribuitur Eusebio Vercellensi hic est ordo evangeliorum: 1. Matth. 2. Joan. 3. Luc. 4. Mar. Ratio sic ordinandi evangelia praeponendique Joannem Lucae et Marco manifeste e dignitate desumpta est, sc. apostolum praetulerunt viris apostolicis. Sin autem quaeras, cur Luc. praeponatur Marco, haec videtur ratio probabilis esse, quod Luc. fusius res gestas scripserit, quam Mar. et ordinem data opera fuerit secutus rerum gestarum. Id quod confirmari potest ex testimoniis s. testibus. Legimus in Constit. Apost. lib. II. c. 57 de legendis libris in concionibus ecclesiarum: Diaconus vel presbyter legat evangelia, quae ego Matthaeus et Joannes vobis tradidimus e quae auditores Pauli, Lucas et Marcus accepta reliquerunt vobis. Significatur nimirum idem ordo.

Videtur pariter in libris liturgicis quarundam ecclesiarum hic ordo obtinuisse, quippe Lucas frequentius legebatur in liturgicis conventibus propter supra allatam causam. Hic tamen ordo evangeliorum rarus est; alius qui nunc in receptis probatisque editionibus bibliorum est communis et fuit semper communis est et fuitque antiquissimus. Is autem ordo descriptus est a titulo vel norma temporis, quo primum venit

Matthaeus, deinde Marcus, tum Lucas, denique Joannes.
Hunc fuisse semper ordinem communem itemque antiquissimum, probatur
1° ex consensu veterum scriptorum apud Euseb. qui hac de re passim scribit, nominatim lib. III. 24.
Id ipsum confirmatur
2° testimoniis S. Iren. lib. III. 11 et Origen. ap. Euseb. H. E. VI. 25. Confirmatur
3° auctoritate S. Hieron. in commentar. in Matth. et in Luc. atque in lib. de viris illustr. c. 9.
4° Confirmatur deinceps per Epiphan. haer. 51 et ab Aug. De consensu evangeliorum lib. I. init.
Contestantur autem haec duo omnes illi Patres: receptum ordinem evangeliorum desumptum esse ab tempore, quo evangelia in lucem prodiere et illum ordinem obtinere in ecclesiis vulgo. Ergo verum est utrumque quod thesi continetur, non esse unicum et eum, qui nunc obtinet esse communiorem et antiquum.
Sed quum hic ordo evangeliorum sit ordo externus, quaeri potest, utrumne existat necne etiam ordo internus, desumptus ex ordine rerum gestarum, ita ut varia evangelia invicem collata, secundum rerum gestarum ordinem disponantur et digerantur? Respondemus in
Thesi II Porro antiquissima pariter sunt tam studia revocandi quatuor evangelia ad harmoniam atque concentum, quam ratio considerandi eadem veluti unum integrum per quatuor digestum evangelia.
Quod primum affirmatur manifestissime ex monumentis veterum Patrum. Porro compellebant ad ejusmodi studia instituenda et causae internae et causae externae, causae polemicae et causae theticae.
Causa externa, ea quae est πολεμική, erant inimici veritatis evangelicae, gentiles maxime et haeretici: Celsus et Porphyrius quique Marcionem et Manichaeum sequebantur et continuo objiciebant dissidia et antilogias evangeliorum, compellebant doctores Ecclesiae, ut apparentia dissidia revocarent ad harmoniam et antilogias apparentes ad concentum. –
Causis ejusmodi externis accedebant causae

internae sc. accurata ē diligens fideliū institutio in causa vel re christianismi gravissima. Omnes quae erant tum temporis scholae christianae eruditionis ē doctrinae, flagitabant, ut accurate ē diligenter expenderetur quidq; ad dissidia s. antilogias apparentes evangelior spectaret. Hinc habemq studia instituta antiquitq a pluribq vetustis omnino Patribq, sc. ab Hesychio ē Ammonio, a Theophilo Antiocheno ē Eusebio, a Cyrillo Alexandr. ē Epiphanio, a Junilio Africano ē Augustino, ab Hieronymo ē Juvencio ē aliis multis deinceps. Ita vero persuasio erat antiqua ē doctrina vetustissimor scriptor ecclesiasticor, tantū abesse, ut inter evangelia vera ē realia obtineant dissidia, verae ē reales habeantur antilogiae, ut existimarent, unū propemodū integrū librū, unū opq esse quatuor evangeliis comprehensū.

1° Id manifestatur comuni loquendi citandiq; usu, ita veteres loquuntur de quatuor evangeliis, ac si unum essent; comuni loquendi usu, quando dividunt libros N. T. in evangeliū ē apostolos, ē ita citant evangeliū singulari numero, allegant vero testimonia ex quatuor evangeliis.

2° Id confirmatur disertis verbis veterū scriptor tā orientaliū quā occidentaliū. Ita S. Iren. qui ē testis pro plaga aeq occidentali atq orientali, lib. III. c. 1 evangelia nostra vocat ευαγγελιον τετραμορφον, unū evangeliū quod formā habet quadriformē. Ita Chrysost. in ep. ad Gal. I. 6 ob consensionē quatuor evangelior dicit unū esse. Similia repetit Theophylact. in Marc. praef; Orig. in Jo. c. I. Idē dicunt occidentales: Aug. de consensu evangelistar. Sermo IV in festū pasch., Ambros. in prooem. in Luc: unū tantummodo in quatuor libros digestū nos habere evangeliū, ecclesia unū habet evangeliū, sicuti unū Deū. Ergo verū ē quod diximq in thesi, quatuor evangelia considerari posse ē considerata fuisse veluti opq unū in quatuor partes distributū. —

Quaeritur utrum etiā πεδκοίκως nec ne digesserint veteres quatuor evangelia in unicū. Etiā hoc obtinet. Primus qui quatuor evangelia in unū digessisse perhibetur, ē Tatianus, S. Justini discipulus, qui per tempus aliquod sequebatur schola catechistica roman. a qua misere postea defecit. Is quatuor evangelia in unū, διὰ τεσσάρων disposuit. Quod ipse tentavit ē effecit, tentaverunt ē effecerunt alii post eū.
Accedimus jā ad enarrationē singulorum evangelior. Si conferantur omnia quatuor invicē ē attendatur quid sit primū, ē sine dubio primū procemiū S. Lucae. Ē ergo primū dicendū de S. Luca ejus evangelio. Hoc autē constituit introductionē specialē in evangeliū Lucae, de quo vide Patrizi c. III. qu 1 sqq. Possunt autē absolvi duobus capitibus quae Patrizi habet largissime tractata, nos brevi compendio proponemus.

Introductio specialis in evangelium S. Lucae.

Cap. I. De scriptore s. auctore libri.

Primo hoc capite quatuor, quod ad Lucā attinet, expendenda sunt: 1° de nomine e persona S. Lucae; 2° de vita ejq ē gestis; 3° de genere e patria; 4° de charactere tā scientifico quā morali.

1. De nomine deq persona

Quidquid sit de etymo nominis Lucae, persona ejq aliā ē a Lucio, cujq mentio fit in Act. XVIII, 1 ē in ep. ad Rom. XVI. 21.

Patritiū, de evangeliis libb. III. Friburgi 1852. lib. I. p. 62.

Quoad etymum nomen Lucae revocant alii ad nomen Lucanū, alii ad nomē latinū Luciliū, alii ad nomē latinū Luciī. Primū pluribq gravissimis auctoribq ē improbabile, alterū ē etiā minq probabile ē tertiū nō penitq improbabile.
Lucas, dicunt priores, ē nomē latinū, sed correptū ē abbreviatū ex Lucano, more sc. Macedonū, qui nomina latina corripiebant, pro Antipatro pronunciantes Antipas, pro Demetrio Demas, pro Silvano Silas. Rē confirmant ex vetustis aliquot codicibq, de quibq ap. Calmetū, praef. in evg. Lucae – in quibq nō Luca legimq, sed Lucanū. Id aliis videtur improbabile, quia Marcionitae inscribebant evangeliū suū nomine Lucano, unde ejq modi inscriptio videtur profecta esse ab illis.
Alii cū P. Patritio formā illā esse mendū putant vel errorē cujusdā insciti scriptoris, extraneis nominibq latinā formā induendā curantis. Quū tamē neq demonstrari pō Lucā esse formā correpta ex Lucano neq contrariū effici, ergo in medio hypothesis illa relinquenda ē.
Minq probabilis ē conjectura Grotii, nomē Lucae derivari e Lucilio, (in Luc. init.)
Tertia sententia nō ē penitq improbabilis: ē saltē vetustissima, quā commemorat ē amplectitur Orig: nomē Lucā idē esse cū Lucio. Neq hoc tamē demon-

strari pō

Atq adeo, quidquid sit de etymo nominis, de persona quærendū ē: utrū Lucas eadē persona sit cū persona Lucii, de quo bis sermo fit. Occurrit hic quidē in Act. XIII, 1. Erant autē in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, prophetæ ē doctores, in quibq Barnabas ē Simon qui vocabatur Niger ē Lucius Cyrenensis ē Manahen, qui erat Herodis tetrarchæ collactaneq ē Saulq. –

Sunt qui dicant hunc Luciū esse Lucā; nos negamq. Primū ex diversitate nominis nō ē probabile Lucā, discipulū apostoli Pauli, semet aliā forma nominis voluisse nominare, ac ipsū constanter appellat S. Paulq. Atqui S. Paulq saltēter nomine Lucæ eū appellat. Accedit alterū, quod ille Luciq dicitur Cyrenensis, Lucas vero evangelista vocatur Antiochenq.

Rursū Luciq dicitur propheta ē doctor, atqui Eusebiq sec. veteres scriptores ē S. Hieron. sec. eosdē veteres scriptores omnes S. Lucæ qualitates ac prærogativas diligenter percensent atq connumerant neq. tamē dicunt fuisse eū prophetā.

Quarto id ipsū colligitur ex alio duplici indicio interno critico et externo. S. Lucas ubiq tā in evangelio quā in Actis constanter premit nomen suū ē semet significat tantū nomine plurali cū aliis; suū vero nomē nūquā diserte exhibet neq. videtur probabile hic eū qd aliās nō fecit, facere voluisse. Crescit probabilites conjecturæ nostræ ob singulorq ordinē nominū, nō enī ob modestiā suā se. Saulo anteposuisset. Quū igitur modestia scriptoris maxime cū modestia cognita Lucæ nō componatur, argumento ē interno ē externo conficitur nostrū Lucā nō esse eundē cū Lucio, cujq mentionē faciunt Acta Apostolorq.

Id ipsū efficitur quoad alterū locū in ep. ad Rom. XVI. 21. Salutat vos Timotheq, adjutor meq ē Luciq ē Jason ē Sosipater, cognati mei.

Lucius hic non ē Lucas evangelista. Quod patet

1° ex differentia nominis ē rationi allatæ hoc momentū accedit: nemo facile crediderit, unū eundemq scriptorē unā eandemq personā modo voluisse nominare Lucā modo Luciū. Qui igitur Paulus plus semel evangelistam nominaverit Lucā, nemo dixerit eundē qui scriberet ad Romanos, voluisse nominari Luciū.

2° confirmatur descriptione Lucii: quæ nō quadrat in Lucā. Neq. convenit Lucæ i. q. tacetur de Lucio neq. q. affirmatur. Tacetur, imo negatur, eū fuisse Pauli adjutorē. Timotheus dicitur adjutor, sequentes dicuntur cognati. Atqui Paulus diserte Lucā evangelistā vocat suū adjutorē, negatio ergo hujus proprietatis nō quadrat in Lucā. Neq. quadrat in eū q. affirmatur de Lucio. Dicitur cū Jasone ē Sosipatro Pauli cognatus. Atqui Lucas nō fuit Pauli cognatus, ergo descriptio, quæ fit Lucii nō ē quæ convenire possit Lucæ evangelistæ.

Præoccupamus difficultatē, quasi vox „cognati" referenda esset tantū ad Jasonē ē Sosipatrū, nō autē ad Luciū. Id videtur negandum spectato toto ordine personar descriptar, quar salutationes comendat Paulus Romanis. Videlicet in toto capitis decursu ne unū quidē salutandū dicit, quē nō descripserit particulari quadā nota. Sin vox „cognati" referatur tantū ad Jasonē ē Sosipatrū, Lucius erit unicus, qui nō describatur. Ut ergo Lucio pariter detur sua distinctio, comprehendendus ē cū Jasone ē Sosipatro in cognatis Pauli. Ergo retinendū videtur Luciū esse cognatū, is autē nō fuit Lucas, ergo nō sunt una persona.

Tertia ratio petitur ex eo quod qui Paulus scriberet hanc epistolā ad Rom. Lucas apud Paulū nō erat. – Cf. P. Patritiū l. c. p. 64 n. 8

Lucā porro apud Paulū nō fuisse, qui scriberet ad Rom. triplici argumento conficitur.

1ᵘ ē grammaticū: quando Lucas cū Paulo ē, res solet numero plurali enarrare „nos" – quando vero abē adhibet de Paulo 3 sing. v. 3 plu. si plures erant, de quibꝰ sermo fit. Atqui inde a c. XVI. 19 Act. usq/ ad c. 20 Lucas enarrat res quæ Paulo contigerunt, adhibens modo 3 sing. modo 3 plur; intervallo ergo temporis, quod præterlapsū ē a c. XVI. 19 usq/ ad XX Lucas cū Paulo nō erat, porro eodē temporis intervallo scripsit Paulꝰ epistolā suā ad Rom. tū enī eā scripsit (Rom. XV) quū in eo esset, ut ex Achaja proficisceretur Hierosolymas, ubi fuit incarceratꝰ

2ᵘ ē reale: quando Lucas cū Paulo est, descriptiones ejꝰ pleniores esse solent, adjunctaq/ omnia accuratiꝰ exhiberi, quod semper fieri solet ab illis qui de visu testes sunt; qui enī singula viderit, accuratiꝰ narrat. Pariter Lucas quando describit ea, quorū testis ocularis extiterat, quando erat cū Paulo, omnia, quæ obtingebant, per minuta refert. Atqui capitibꝰ illis omnia generatī narrat, plenitudo vero singulorū/ accurata indicatio deē. Hoc igitur argumento critico interno petito ex ipsa narrandi scribendiq/ ratione luce clariꝰ efficitur, tū temporis Lucā nō fuisse cū Paulo

3ᵘ personale: Inter personas quas Lucas commemorat in Act. XX, 4 socios comitesq Pauli cū proficiscerentur ex Achaja: Sopatrū, Aristarchū etc. Lucas nō comparet, ex Achaja vero profecturꝰ scripsit Paulꝰ suā ad Rom. ergo Luciꝰ de quo mentio fit in eadē epistola, Lucas nō ē.

2. De gestis Lucæ

Fuit Lucas evangelista idē qui scripsit Actꝰ Apostolorū editibꝰq princeps N. T. historiographꝰ. Pauli discipulꝰ, in laboribꝰ socius ē adjutor atq ejꝰdē per plures annos fere perpetuꝰ in itineribꝰ comes.

Primū constat præsenti argumento interno, externa praetermittimus.

Schraderiana 12.

Quod ut efficiatur, conferantur in unum ea quae habentur ab init. Act. quaeq habentur ab init. evang. Initio Act. auctor testatur se evangelium scripsisse et destinavisse Theophilo illudq complecti omnia, quae pertinent ad vitam gestaq Christi. Atqui haec habentur initio evang. Lucae, ubi dicit se ad Theophilum scribere velle et quidem plenissime et ex ordine. Ergo qui 3um evang. scripsit, idem scripsit etiam Actus.

2° Fuisse Lucam Pauli socium et adjutorem etiam in laboribus, constat ex iisdem fontibus, argumento tam interno tum externo. Cf. Patrizi, l.c. qu. 1 n. 2.

Inprimis veteres communiter omnes contestantur Lucam fuisse Pauli discipulum, socium, adjutorem. Argumentum vero internum petitur ex Act. et epist. Pauli. Sustinuisse Lucam cum Paulo et labores et dolores colligitur ex Act. XVI. sq. ubi narrat quae sibi et Paulo communiter contigerunt. Quod ipse quoq Paulus testatur. Scribit enim ad Coloss: salutat vos Lucas medicus carissimus, ὁ ἰατρὸς ὁ ἀγαπητός. ad Philem. vero v. 24: Marcus, Aristarchus, Demas et Lucas, adjutores mei, οἱ συνεργοί μου. — Quaeritur sitne ille Lucas evangelista? Nullum esse dubium potest; non tantum propter nominum identitatem sed cum Paulus scriberet ad Philem. et ad Coloss. erat prima vice Romae. Atqui ex Act. constat Lucam cum Paulo fuisse Romae non tantum altera, sed etiam prima vice. Ergo non alius Lucas est. + cf. c. 16, 10-17. XX, 5 - XXVIII, 16

3° Porro fuisse Lucam fere perpetuum Pauli in itineribus comitem, constat rursum duplici argumento. Inprimis testantur veteres Lucam fere semper comitatum fuisse Paulum cum eoq mansisse usq ad diem ejus postremum — Iren. III. 14. Id ipsum efficitur argumento interno.

Scribit ipse Paul. in 2 ad Timoth. quam brevi ante mortem suam dedit: Lucas est mecum solus. Alios nimirum socios et comites miserat alibi, solum Lucam retinuerat secum. De tempore vero, quo incepit comes esse Pauli, affirmari potest, h. non recordisse

ante concilium Hieros.

Constat ante non multo post concilium Lucam fuisse cum Paulo; atqui Concil. celebratum est a. 47 (Patritius de evangeliis L. III, diss. 51 no. 10) ergo circa initium a. 48 v. saltem non multo post a. 48 inceptum Lucas cum Paulo fuit. Constat enim ex Actis XV, 30, post concilium Hieros. cum aliis Paulum quoque dimissum Antiochiam descendisse. Tum v. 36: post aliquot autem dies dixit ad Barnabam Paulus; ergo non multum post quam rediit Antiochiam, profectus est visitaturus fideles quos pridem converterat – XV, 41. Quae omnia non multo post Concil. Hier. tempore contigerunt.

Enarrat deinceps c. XVI Lucas Paulum venisse Lystram invenisse ibi Timotheum, commendasse eum cum eoque continuavisse iter per civitates, communicantes ecclesiis Concil. Hieros. decreta. Demum auctor commemorata viri Macedonis visione ita pergit

v. 10 ut autem visum vidit, statim quaesivimus proficisci in Macedoniam. Hic prima vice Lucas numero plur. loquitur, aperte indicans, sec. morem suum, adjunxisse se Paulo socium in itinere, hoc vero non multum post Concil. Hieros. celebratum contigit, videlicet circa a. 48 init. Inde usque ad mortem ejus Lucas cum Paulo remansit, unde fere perpetuus socius jure optimo dicitur. Additur „fere", etenim Lucas cum Paulo non fuit iter faciente per Graeciam, videtur in Macedonia remansisse Philippis, cum Paulus continuaret iter suum per Achajam. Quam unicam Lucae absentiam nonnulli quinque annis expleri putant, sed semper praesens aderat.

3. De patria Lucae et natione.

Patria fuisse Antiochenus dicitur, non vero ex circumcisione (Patritius de evang. L. I, c. 3. qu. 1. n. 3. Antiochenum fuisse solum constat argumento externo, videlicet testimonio Eusebii et Hieronymi; non vero fuisse ex circumcisione, demonstratur duplici argumento interno, tum indirecto tum directo.

Indirecte ē mediate ex Act. petitur I. 18 sqq. ubi auctor Petri sermonē referens, hæc inserit: ē hic quidē Judas possedit agrū de mercede iniquitatis etc ita ut appellaretur ager ille lingua eor. Haceldama h.e. ager sanguinis. — Quæ verba nō Petrū dixisse sed commentatorē adjecisse, facile ex adjunctis patet. Petrus eni sermonē illū Hieros. ad apostolos primosq fideles habuit immediate pō ea quæ contigerant circa Judā. Atqui omnia quæ c. I. 18 sq. habentur in hujus sermonis adjuncta minime quadrant;

1° Petrus loquens viris Judæis opus nō habuit interpretari vocē Haceldama;

2° neq opus erat narrare adjuncta quæ omnibus adstantibus optime nota erant;

3° narrantur hæc tanquā res quæ multo prius contigerant

Quæ tria adjuncta nullo modo convenire possunt in personā, in sermonē, in tempus quo locutus ē Petrus. Quū igitur auctor aperte significet se nō esse linguæ hebr. videtur omnino nō Judæus fuisse. Quæ conjectura certa redditur testimonio diserto ē directo Pauli ad Coloss. IV. 10 sq. scribentis: Salutat vos Aristarchus ... ē Marcus ... ē Jesus ... qui sunt ex circumcisione; hi soli sunt adjutores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt solatio. Salutat vos Epaphras, qui ex vobis ē ... salutat vos Lucas medicus carissimus. —

Duplex in verbis his momentū habetur; alterū distinctione affirmante: qui sunt ex circumcisione... alterū distinctione ~~affirman~~ excludente: hi soli sunt adjutores. Prima videlicet propositione distinguit Paulus Aristarchū ē Marcū ē Jesū a reliquis, ergo reliqui nō erant ex circumcisione. Atqui inter ceteros habetur v. 14 Lucas, ergo nō erat ex circumcisione.

At vero Lucas quoq adjutor fuit Pauli in missione apost. ut diserte scribit ad Philem. 24. Marcus, Aristarchus, Demas ē Lucas, adjutores mei. Quomodo ergo tres illos solos adjutores vocat. Respondetur, supplendū esse: ex circumcisione. —

Scripsit autē Romae hanc epistolā. Qua in re animadvertendū, q si dicit ex. gr. Lucas ē mecū solus (2 ad Tim. IV. 11, nō pō inde inferri: ergo Petrus nō fuit cū eo, ergo solus fuit. Nā in contextu loquitur tantū de suis consuetis comitibus ex Asia, de illis scribit, Lucā esse solū secū. Minime vero pō inde concludi, fuisse neminē praeterea cū Paulo. Quamvis enī videtur epistolā illā scripsisse ante mortē appropinquantē, nō tamen propinquissimā; expectabat enī Timotheū ē invitaverat Marcū. Fieri igitur potuit, ut Petrus nondū adesset in carcere Mamertino, ubi detinebantur captivi ante ipsū imminens suppliciū. Immo Paulus probabiliter adhuc commissus erat custodiae militis. Tandē si Petrus nondū erat incarceratus, qd nō ē improbabile, fieri potuit, ut omnino tum temporis Romae nō esset, quippe qui dioecesin suā peragraret.

Falluntur etiā qui Lucā fuisse Pauli cognatū secundū carnē volunt. Cf. Patritiū l.c. n.7. Innituntur autē argumento tū interno tū externo. Internū petunt ex ep. ad Rom. XVI. 21: Salutat vos Timotheus adjutor meus ē Lucius ē Jasō ē Sosipater, cognati mei. Atqui, ita arguunt, Lucius i.e. q. Lucas, ergo Lucas cognatus ē Pauli.

Sed haec falsa sunt quia

1° Lucius nō ē Lucas

2° Lucius hic v. sec. Grotiū ē Lucius Cyren. v. cū auctore Constitutt. apostol. haberi ille Lucius pō, qui factus ē ep. Cenchrear. quē Luciū, ep. Cenchrear. id. auctor Constitt. apo. distinguit a Luca (Cf. Patritiū l.c.).

Nō ē penitus improbabile hujus Lucii salutationes mandavisse Paulū, quū epistolā ad Rom. scriberet in Achaja, ubi aderat Lucius, aberat Lucas.

Praeposterū etiā ē argumentū alterū externū quo ponunt ex opinione Origenis Luciū idē esse quē Lucā ē Lucā fuisse cognatū Pauli. Opinio enī Orig. infirma ē spectata sententia omniū

Schraderiana.

De evangelio S. Joannis

Prima pars agit de auctore IV evang. Determinari pō 2ᵘˢ argumentor genere.
De externis satis diximus in introductione gener. Remanet dicendū de argumentis internis. Petuntur ea ipsis libris.
Hoc genus argumentor pro evang. IV. auctore complectitur 3 capita: 1ᵘ petitur ex ipso evang. IV collato cū reliquis evang.
2ᵘ petitur ex eodē evang. collato cū epistolis Jo. apost.
3ᵘ ex argumentis oppositis quæ valore carent

Primū argumentū constat 3ᵇ rationū momentis: 1ᵘ ē excludens; 2ᵘ affirmans e reale; 3ᵘ affirmans personale.

1. Argumentū excludens

Auctor IV evang. declarat se esse discipulū, quē diligebat Jesus; atqui vi exclusionis discipulus iste ē Jo. Apost. ergo auctor IV evang. ē Jo. Apost. Probemus singula, inspecto evangelio.
Auctor se met ipsū manifestat c. XIX. 26 19/ cū vidisset Jesus matrē e discipulū stantē, quē diligebat....
sequuntur, quæ coram oculis contigebant discipuli – v. 35 ē qui vidit, testimoniū perhibuit, ē verū ē testimoniū ejus
Ergo qui testimoniū reddit de his, quæ contigerunt, ē discipulus dilectus. De quo si quis dubitet, cf. c. XXI, 24. Hic ē discipulus ille qui testimoniū perhibet de his ē scripsit hæc. Ergo nō tantū testatur, sed etiā scripsit. v. 20. Conversus Petrus vidit discipulū illū sequ. qui ē

Ergo dubiū nō ē de persona discipuli.
Quisnā ē discipulus ille: ē Jo: Apost: auctoritate PP.
Prætermisso argumento illo externo
2.
Discipulus ille quē diligebat Jesus, nō potuisse esse, nisi unus ex his tribus: Petr. Jac. Jo. nā constat, hos tres Salvatorē prætulisse reliquis, ergo pō in hos trēs unū cadere nota illa dilecti discipuli. Illos Salv. fecit testes certos prodigiorū – Marc. I. 29 ubi tres secū assumpsit solos cū sanaret socrū Simonis. V. 37 e Luc. VIII. 51 ubi hos tres tantū secū assumpsit, cū sanaret filiā Jairi, hos fecit testes suæ transfigurationis. Matth. XVII. 1 Marc. IX. 1 Luc. IX. 28. Hos tres fecit testes etiā agonis sui in horto – Matth. XXVI. 37 – Marc. XXIV. 23. Præmisit, ut præpararent ultimā cœnā Luc. XXII. 19
Hi tres manifestarunt ardentiorē zelū in Salvatorē – De Jo. ap. Marc. IX. 37 e Luc. IX. 49. 54: respondens Jo: dixit: vidimus quendā in nomine tuo ejicientē dæmonia ē prohibuimus illū – 54. cū vidissent discipuli ejus, Jac. ē Jo. dixerunt, vis

unde dicti sunt Boanerges –
Habebant hi tres singularē familiaritatē e certā grandē

confidentiã in magistro manifestabant – Marc: XIII. 3 quaerunt fine sanitæ ovitatis. Ap. Io. XIII. 23, 25 Petrus interrogat

Ap. Io XXI, 21

Petebant ap. Mar. X. 35 volumus ut facias, quod cunque petimus. Apparet inde habitudo amoris et familiaritatis. Accedit quod hi tres ceteris praeponuntur Marc III. 16. 17 XIII. 3 quando singillatim enumerantur apostoli – Act. I. 13 F

Dicat aliquis apud Matth. et Luc. praeponi Jacobo et Io. Andreã – mentio fit fratrum, et Andreas erat frater Petri, ne ergo repetitio

Aliã ratione addit Marroppius in Spicilegio. Apud Matth. et Marc. ubi census habetur Apostol. non singillatim enumerantur, sed bini et bini. Videntur habuisse missionem, in qua bini et bini mitterentur; erat dispositio ordinis, quam Salvat. fecit, quam mitteret eos per regiones.

Etiam Paul. Gal. II 9 dicit se vidisse capita: Petrum Io. Jac. ubi tamen Jac. non est frater Io. sed frater Dom. ille non amplius erat in vivis.

Atqui ex his tribus, qui nomine dilecti filii venire possunt, nemo scripsit evang. nisi Io: idque exclusione efficitur. Non potest esse Jac. Io. frater, is enim occisus erat – Act. XII. 2 ab Herode Agrippa – contigit a. XLII (13 post Chti ascensionem) tum evang. Io. non erat scriptum. –

Neque S. Petrus auctor est; ab h. enim dilectus Jesu discipulus semet distinguit constanter – Io. XIII. 23 sq. XX. 2 – XXI. 7. XXI. 20. Reliquum ergo est, ut dicatur auctor esse Io. Ap. Idem ostenditur

2 Argumento affirmante reali.

Evangelistae alii narrant habitum singularem dilectionis mutuae extitisse inter Chtum Salv. et S. Io. Ap. Atqui auctor IV evang. dilectus discipulus ut semet vocat, manifestat signa et argumenta singularis dilectionis Chti erga se et vicissim suae dilectionis erga Chtum. – Indicia singularis amoris Chti in Io. habentur XIII. 23. XIX. 26, Habentur vicissim argumenta dilectionis Io. erga Jesum: XVIII. 15 sequebatur ante Jesum Simo Petrus et alius discipulus

XIX. 26

XX. 2 sq. ubi cucurrit ad sepulcrum et praecucurrit

XXI. 7. ubi solus cognovit Dom. Salvatorem suum, hoc vero amantis est. – Talis habitus sec. alios evangelistas existebat inter Jes. et Io. hic ergo discipulus est Io.

Si alius esset discipulus hic dilectus, unde est, quod alii evangelistae hunc discipulum non nominant? de singulari Io. dilectione loquuntur, de alio nunquam mentionem faciunt. Vicissim IV evang. auctor quam plura et diligenter narrat de praestantia dilectionis Petri erga magistrum suum et praeferentiae Jesu erga ipsum de dilectione ante Io. nihil dicit, loquitur 3 pers. de quodam certo

discipulo, quē diligebat Jesus. Sc. quia ipse Jo. auctor erat evan-
gelii, qui semet occultabat, ē nom. propr. occultabat, periphrasi utens
sibi jucundissima. Il. enī modestiæ ē nomine propr. de se nō loqui,
sed veluti 3a pers. uti. — Si Jo. reapse auctor ē IV evang. omnia
plane sibi ē penitissime cohærent ē componuntur, etiā in
illis quæ prætermittuntur vel tacentur.

3. Argumentū affirmans personale

ex adjunctis personæ petitū: ex conditione, charactere tū
scientifico tū morali ē aetate. His adjunctis consideratis effi-
citur Jo. auctor esse IV. evang. —
Conditionis erat piscator, narrat Matth. IV. 21 Mar. I. 19 Luc.
V. 3-10. Atqui tale se manifestat auctor ut ejusmodi qui calleret
arte piscatoriā ē familiarissima esset in mari. Cf. VI. 19
cū XXI. 1 sq. (nominati v. 8). Cubitis docentis, ubi adjunctū
distantiæ probat conditionē auctoris, qui uno ictu oculi
definiebat distantiā, q. neq facile ē ējus hominis fami-
liaris in mari. — Accedit alterū indiciū hoc eodē loco XXI. 1-11.
Tā minute per singulas partes ē quasi in dilectione ē gustu
describit piscationē ē quæ in illa cohærent, ut facere solent
illi qui loquuntur de arte, quā callent. Huc pertinet
quæ habet v. 11 de captura piscium, ubi multitudinē e magni-
tudinē e quot fuerunt ἑκατόν dicit. —
Etiā ex v. 6 q. observat de latere a quo rete mittebatur,
tū quæ dicit de multitudine piscium, quā nō valebant trahere
(sc. in navē). Sed v. 8 observat advenisse discipulos alio navi-
gio ē trahere rete sc. post navim. Cum adverte: ἑλκύω, tra-
here ad se v. 8 σύρω, trahere post se — observationes minu-
tissimæ.
Tandē epiphonema v. 11: ē cū tanti essent, nō ē scissū rete —
sc. homo piscator sciebat, quot pisces ferre poterat rete,
debebat rumpi sec. ordinē naturalē. —
Hæc conditio scriptoris quadrat in Jo. Ap. ēq ejus indi-
ciū, unde rite colligitur, eū esse auctorē

Argumentū ex charactere tū scientifico
quā morali:

Character scientif.: S. Jo. piscator erat vir simplex, illite-
ratus, teste ubi apost.: ἀγράμματος, testi de visu — atqui
talē characterē præferunt quæ IV evang. continentur —
Simplicitas apparet ex omni narratione; sufficit legisse v
unū sermonē v. unius facti descriptionē. — Fuit illiteratus,
destitutus cultura q. ē adeo indubitatū apud omnes, ut S. Jo.
ob cultoribus classicitatis arguetur præ ceteris evangelistis
propter linguæ barbariē ē menda gram.
Ita narrat res ac si in media actione quā narrat, fuisset;
ac si res suis ipse sensibus usurparet, hinc frequentissime
utitur tempore præsenti — 1f. c. I. 15. Jo. testimoniū perhibet
de ipso ē clamat dicens — ipse auctor fuerat Jo. Bap. disci-
pulus; narrat igitur ut homo qui se adhuc præsente videt.
Quæ præterita erant, ubi futura narrabat, pro tempore
quo narrat: c. 21, 4 9 19 — Conversus Petrus vid. 7, illū discipulū
quē amē diligebat...

... Hoc autem dixit, significans, qua morte glorificaturus erat Deum — graece: δοξάσει, pro tempore, quo scriptum est Chr. — jam vero Petrus glorificaverat Deum eo quo praedixerat Christus modo.

Talis etiam est char. moralis, qualem tribuunt Jo. Ap. vetustissimi Script: — Tillemontius, de Jo ap: — tradunt S. Jo. fuisse discipulum κατ' ἐξοχήν caritatis et amoris — cum jam esset gravi senectute, ita ut pedibus suis ingredi eccl. non valeret, gestabatur — neq aliud quid dicendum habebat, quam illud: filioli, diligite invicem. — quia mandatum Domini est et si impletur sufficit. —

Atqui 4us evang: repletum est ejusmodi indiciis caritatis: in ipsa appellatione, qua gloriatur: discipulus, quem diligebat Jesus — huc pertinet frequentissimus usus nominis Jesu et Chri — ipse solus bis toties utitur nomine Jesu, ac L. et Marc. simul. Accedit q. nemo frequentius usus est verbis: φιλέω, ἀγαπάω — his verbis utitur frequentius quam 3 alii evangelistae — verbo ἀγαπάω in 3 epistolis, toties utitur, quoties Paulus in 14 epistolis.

Indicium habetur in ipsa narratione IVi evang: 11: auctor plenus est zelo Chri Dom. ubi in illis videatur continuo versari, q. indicium est amoris.

Nemo magis manifestat Chri Dom. amabilitatem; patet ex sermonibus, quos refert, ipse unus dilectionis plenos retulit ultimos sermones Chri — exponit plenos mansuetudine et dilectione, non occurrunt minae, non illud vae, tantum mansuetudo, caritas, suavitas — continetur que discipulus caritati.

Tandem inde conqueritur de ingratitudine hominum erga tantum Salv. amorem: I.10: sui eum non receperunt.

Accedit aetas. Tradunt vetustissimi script.: S. Jo. superstitem fuisse reliquis apostolis et ad finem vitae conscripsisse evg suum — atqui non deest indicium hujus rei, de quo postea. —

Argumenta ex comparatione evang:
cum epistolis, maxime 1a

